

PALAESTRA

LATINA



N. 224 — ANN. XLIV — FASC. I

M. JAN. JUN. — A. MCMLXXIV

P A L A E S T R A L A T I N A

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
CAESARAUGUSTAE EDENDI

COMMENTARIORUM CONSILIU M

<i>Praeses:</i>	A. Pérez, CMF.
<i>Moderator:</i>	M. Molina, CMF.
<i>Administrator:</i>	H. Arenas, CMF.
<i>Curator technicus:</i>	J. Aspa, CMF.
<i>Praecipui scriptores:</i>	J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Seminario Claretiano - ALAGON (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:

— in Hispania constat	100 pesetas
— in America Hispanica	100 pesetas
— in Gallia	12 francis
— in Italia	1400 libellis
— in Germania	10 marcis
— in Anglia	20 solidis
— in reliquis civitatibus	3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:
125 pesetas constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:
30 pesetas in Hispania constat.

M. JAN. — JUN.

A. MCMLXXIV

224

ANN. XLIV

FASC. I

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

SOCIIS CLARETIANIS BIS IN ANNO EDENDI

INDEX

N. 224 — ANN. XLIV — FASC. I

M. JAN. JUN. — A. MCMLXXIV

TH. CIRESOLA, <i>Rude donatus</i>	3
A. MINICUCCI, <i>De Conventu Ovidiano Tomis habito</i>	15
J. MARINELLI, « <i>Ne cessare putas rerum primordia posse</i> »	25
J. M. MIR, C. M. F., <i>Horatius verborum praestantiam, praesertim ex collocatione, perpetuo in carmine assequitur</i>	33
B. S. POVSIC, <i>Quis sit homo liberaliter institutus</i>	49
G. PAUCKER, <i>Tutzingensia Latinitatis Seminaria anno 1974 habenda</i>	57
J. M. JIMÉNEZ - M. MOLINA, <i>Bibliographia</i>	59

RUDE DONATUS

Libellus altero praemio ornatus in certamine Capitolino XXI - MDCCCCLXX.

Ergo docendi munere solutus, quod aetatis terminum legibus statutum jam attigi, hic apud maris litus, in via lata arboribus consita lento gradu solus vagor, nullo proposito consilio, sed hoc unum quaerens ut quam maxime hoc tepido sole fruar.

Namque cum medici latera mihi inspexerunt atque arterias, molesta enim pituita jam dudum laborabam, quae jugulum adeo occupaverat ut vox rauca exiret frequenti tussi penitus quassarer, in hanc sententiam venerunt, ut quam primum maris litora peterem, ut auris marinis aliquid morbo lenimenti invenirem.

Qua in re felix fui, quod aestas videtur in hos Octobris mensis dies inrepsisse, adeo tepidus sol mitisque aer est. Solus igitur ultro citroque spatior, litoris amoenitatem, aequoris tranquillitatem admiratus. Maris aqua procul dubio haud frigida est, si hic illic quosdam nantes video, advenas fortasse, qui eum calorem hic petunt, quo carent in suis regionibus.

Oculos circum verto, ut hoc miro naturae spectaculo prorsus delecter. Ex arboribus interdum folia arida, rubro colore illita, tenui aurae vortice correpta humi decidunt. Haud procul retia piscatores summo labore in litus trahunt, dum procul lintres, lineis passis velis, ignotam quandam regionem petere videntur. Super omnia autem fulget sol nitidus, aureus, quo omnia illustrantur, foventur, animantur.

Sed jam ambulando delassatus in ligneo sedili consido. Mecum attuli acta diurna ut perquam commode ea legere possim, quod mihi huc usque raro evenit, cum tot aliis officiis gravarer. Nunc ut tempus jucunde terere possim omnibus scriptis animum attentum praebeo, usque ad oblatas commercii occasiones.

Videamus igitur quid novi in toto orbe terrarum, quid in nostra urbe evenerit. Breznevius, suarum partium ab actis, socios severe admonet, qui seditionem fovere videntur. Pisis graves tumultus concitati sunt, quorum causa nonnulli vulnerati in aegrotorum hospitium excepti. In multis urbibus operum cessationes. Quid secreti celet Domus, quae dicitur, Alba, in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus, aperte explicatur.

Haec omnia oculis lustro velut absens, sensimque acta diurna e manibus in genua excidunt, cum nullum scriptum eam vim habeat, quae animum meum alliciat. Oculi in mare conversi undas solis ra-

diis micantes contemplantur, sed animus, ac potius cor, longius evadit.

Hac quidem hora annis praeteritis in munus docendi sedulus incumbebam novosque discipulos attente recensem, ut eorum et ingenia et mores dignoscere possem. Quoties hoc opus suscepi, quoties ad exitum perduxii! Iterum iterumque, at quotannis semper recens novumque hoc opus mihi fuit. Quapropter dicere solebam ver mihi vere illud videri, quod docendi muneri initium daret.

Discipulorum acies, quae deinceps his annis subsecutae sunt, similes mihi videntur undis, quae ex infinita maris immensitate, alia post aliam, litoris arenam petunt, lambunt, mulcent.

Cum novos discipulos adieram, idem mihi eveniebat, quod horum colenti, floribus vel arboribus fructiferis consitum. Meum esse ducebam omnes labores impendere, omnes curas adhibere ut fructus quam optimos darent. Quod autem eadem aetate prope modum, annis praeterlabentibus, novi discipuli semper fruebantur, factum est ut perenni quadam juventute ipse quoque vigere mihi visus sim.

Discipuli mirum quoddam speculum mihi fuerunt, cujus opera mihi semper ante oculos juvenales imagines observabantur. Itaque si non corpore, quod annorum jacturam misere sensit, animo tamen idem semper fui ac fueram, cum primum in oppidulo Italico munus docendi inii.

Tam spisso nigroque capillo, leviter criso, tam puerili, potius quam juvenali, vultu tunc eram, ut in errorem discipulos Lycei illius traxerim. Conferti ejus limen prope obsidebant mutuam salutationem sibi reddentes post aestivas ferias, atque de casibus suis elata voce disserentes. Qui ubi me ad se accendentem conspexerunt, loci ignarum atque prope dubitantem, illico densa corona me circumderunt, laeti quod novus laborum socius sibi daretur. Atque: — Cujus classis es? — seduli quaesiverunt. Ego vero, id summopere pertaesus quod discipulus eram existimatus, ac prope iratus quod impiediebar ne in Lyceum ingrederer, quid responderim haud bene memini. Sed memini bene eorum stuporem atque admirationem cum me in cathedra sedentem conspexerunt.

* * *

Sed qui sibilus improviso nunc ad aures pervenit, tam lenis ut periclitantis gemitus sibi auxilium implorantis esse videatur? Oculos intendo, atque procul video ex undis aegre emergentem naviculam, quae cursum ad hoc litus dirigit. In temporis momenta major fit, ejusque sibili crebriores, donec haud procul a litore substat. Ponticulus effertur qui in litore nititur. Turba, que naviculam complet, deinceps egreditur, singuli iter progressi, quos oculis attentis sequor ut de eorum vita et moribus aliquid attingere possim.

Qui sunt? Unde veniunt? Quo tendunt, qui ponticulo nutante terram petunt? Haec noscendi cupiditas e docentis officio in me orta, acrior in annos facta, effecit ut discipulorum indolem diligenter scrutarer, penitus dignoscerem. Quos discipulos primum acceperam, eos singulos diligenter speculatus sum, ut docendi viam atque rationem ad eorum ingenia et mentis facultates adaequarem. Qua in re adeo profeci ut primo obtutu potuerim discipulorum animos accurate perpendere atque aestimare. Hanc tamen dignoscendi facultatem diuturno doctrinae usu et grata cum discipulis familiaritate adeptus sum.

Sed prioribus annis quae consilii deceptio! Cum mihi persuasum esset discipulorum animos benevolentia tantum et clementia allici posse, summa in docendo lenitate usus sum, ut discipulorum gratiam mihi compararem. Sed cum brevi discipuli opinati essent se quidquid auderent posse efficere, nullam meae clementiae gratiam habentes, paulatim inter se susurros serere, jocos exercere, risus movere, qui a primis ad extrema subsellia pertinebant. Brevi praecidam, jam res adeo progressa erat, ut fere mihi facultas docendi admiretur.

E tot annis in docendo insumptis haec una minus grata rerum memoria exstat, cuius tamen causam non discipulorum malevolentiae tribuendam puto, sed meae docendi juvenali imperitiae, qui nulla puerorum disciplina imbutus, falsis opinionibus adductus, mei ipsius animi naturae clementi et miti nimis fortasse indulsi.

Ceterum hoc mihi facile persuasi, ut feminas pueros esse, qui mansuetudinem et clementiam diligunt, sed severitatem animique viorem venerantur. Qua ex re flocci faciunt benevolentiam, cui nulla subsit severitas atque vis, cum nimiam lenitatem e quadam animi infirmitate oriri arbitrentur, quam spermunt, qua abutuntur. Quare docendi rationem mutandam censui. Qui prius mitis, clemens, benevolus fueram, severus deinde, asper, vel morosus exstiti. Discipuli tanta morum mutatione primum velut stupefacti, renuere conati sunt, seditionem excitare. Sed ubi ferrea manu se regi senserunt, jugum tolerare constituerunt, ut equi, qui primum per tesqua inhospita vagantur, mox freno domiti ab equite in orbem se ferri patiuntur.

* * *

Longum larorum agmen caelum secat. Candidi ut sunt, aliqua albi coloris nota caeruleum caeli spatium illinere videntur. Alas lentis motibus agunt, easque tam late pandunt, tamquam si totum aerem sibi subicere videantur. Solem versus volant, et lucis fulgore et aeris tepore beati. Unde venerint, nemini notum, quo iter tendant, nemini compertum est. At interdum in maris undas praecipites ferun-

tur, cibi profecto sibi parandi causa. Ut miram mihi spectanti animi alacritatem infundunt! Sed ubi longius evanuerunt, ad meas cogitationes redeo, quae et gaudio atque aegritudine quadam me afficiunt.

Rerum usu edoctus potui paulatim severitatem cum clementia atque benignitate ita conjungere atque commiscere, ut semper postea potuerim benevolentia uti, nulla adhibita severitate.

Namque ubi discipuli hoc sibi persuasum habuerunt se debere aut meam clementiam eligere aut meam severitatem, clementi maluerunt me uti quam severo. Exinde potui eam in discipulos benevolentiam ostentare, sine ullo disciplinae detimento, qua notus, ac potius, praeclarus in Lyceo habitus sum. Si quid autem erat in schola reprehendendum, quod praecipiebam parumper intermittens, silentio facto, eum discipulum obtutu acri atque severo petebam, qui aliquid molestiae mihi attulerat, atque hoc satis erat ut errantem ad bonam frugem reducerem.

Itaque me omnes tamquam patrem dilexerunt, cum hoc animadvertisserint, me non commoda neque meas utilitates sectari, sed quae sibi ipsis esse possent incremento. Qui nulla discipulorum disciplina institutus fueram, naturam atque prudens consilium secutus, ad eam recte docendi rationem pervenire potui, ut non jam professor, sed verus magister appellatus sim. Hoc semper discipulis compertum esse volui a me et omnes et singulos magni aestimari etiam si minus acres ingenio ceteris essent. Quod si quis locum italicice vel latine conversum multis mendis insperserat, nedum eum vituperarem, ubi eum de causis certiore feceram quibus in errores inciderat, subinde me haud dubitare affirmabam quin et ea menda in posterum vitaturus esset et in melius ipse profecturus. Quod si in proxima vertendi exercitatione duo vel tria menda minus commisisset, ei gratulabar, hoc addens eum jam sibi iter munivisse quod ad bonum exitum perveniret.

Cum de iis argumentis quae jam tradideram discipulos interrogabam, hoc me saepe affirmabam facere, non ut in eorum sententias inquirerem, sed ut quae jam preeceperam diligentius absolverem, clarius explicarem. Judicium autem quod in tabellis, legem secutus, punctis expressum inscriberem, id esse, quod nulla stabilitate valeret, utpote quod discipulorum voluntate in melius posset semper mutari. Quapropter continua exsttit docendi atque discendi exercitatio, omnibus judicii curis amotis, quod anni tantum tempore expleto aequum atque certum proferebatur, maxima autem justitia atque animi aequabilitate.

Quid mirum si inter me et discipulos grata quaedam communitas atque societas devincta est, ut mecum libere quivis posset disseverare, suam opinionem profiteri atque defendere, meque omnibus paratum offerrem, ut quae docueram rectius interpretarer, dubia dis-

solverem? Non scholam sed familiam quandam institueramus, ubi dulce diutius versari, ubi jucundum cum omnibus colloqui, ubi suave curas et labores oblivisci. Qui prope alienum a collegis me gerebam, taciturnum, paucis verbis usum, ubi inter discipulos me receperam, taciturnum, paucis verbis usum, ubi inter discipulos me receperam, alius prorsus mihi factus esse videbar. Eorum vultus candidi, curis intacti, ridentes, nisi forte interdum excruciat quod non debita pensa exsolvissent, eam vim atque potestatem habebant ut omnes angores tristitiasque ex animo adimerent, miramque inducebant laetitiam.

Ne quis tamen multum temporis me insumere putet ut gratissima adulescentium fruerer societate. Quin immo discipulis salvere rite jussis, iisque sua subsellia adire rogatis, nulla interposita mora, docendi munere illico fungebar, hac habita ratione, ut quae ad sermonem vel graecum vel latinum pertinerent, utpote quae et gravia essent et taedii aliquid inferrent, primis tantum diei horis docerem, atque in posteriores horas differrem scriptorum vel graecorum vel romanorum lectionem litterarumque historias, cum haec argumenta magis animos discipulorum allicerent.

Quae docendi ratio et discipulos summa delectatione afficiebat, et fructus haud exiguos praebuit. Quod si interdum aliquem discipulum videram non attentum aut, ut saepe fit, in alia disciplina occupatum, ad eum conversus his fere verbis locutus sum: — Mecum mihi videris in scriptoris interpretatione minime consentire. Tuam igitur rogo sententiam. — At ille nihil muttire, vel aliquid inconditi proferre. Cui ego: —Asside — inquam — teque diligentiorem praesta, tuorum sociorum exemplum secutus.

At si neglegentiam aliquam in universum diffusam animadvertem, qua et meis verbis discipuli minus attendi videbantur et non-nihil fastidio affecti, eorum ignaviam atque inertiam minime incusabam, sed domum reversus, quid docuisse, qua ratione preecepisse mecum ipse volutabam, ut, qua in re peccavissem certior factus, meam docendi viam rectius munirem. Quapropter numquam me habui perfectum atque ab omni parte absolutum, sed me eum semper esse putavi, qui ad docendum quovis tempore, qualibet occasione aliquid discere posset. Meum igitur semper illud signum praeciuum esse existimavi: docendo disco, idque, labentibus annis, verum esse expertus sum, cum ad diversas discipulorum indoles me opus fuerit accommodare, ut ex eorum animis ea elicere possem, quae ad institutionem disciplinamque essent conformanda.

Quam ob rem haud immerito, puto, mihi nomen indiderunt Patri Lycei. Quamquam in dubio etiam nunc sum utrum discipuli, nungatores ut sunt, hoc nomen mihi indiderint ob aetatem an propter auctoritatem.

Quod autem ad auctoritatem attinet, maximo mihi illud docu-

mento fuit, quod Lycei discipuli in unum congregati ad exitum frustra conati sunt adducere. Namque ante paucos annos, cum jam discipulorum contentiones et defectiones, causis haudquaquam probatis, ortum primum habuerunt, Lycei discipuli, ut eos qui contra bellum Vietnamese seditionem faciebant mutua fide juvarent, a magistris deficere atque in vias descendere clamitantes atque tumultuantes constituerunt. Quod ubi rescii, Lycei moderatoris tunc vices gerebam, qui in proxima urbe de magistris in ludos cooptandis judex erat constitutus, bene mane Lyceum adii, atque foribus ante statutam horam reseratis, in via discipulos adeuntes exspectaturus moratus sum. Qui primi advenerunt, illico a me jussi in Lyceum ingredi, quamquam inviti, paruerunt, itemque qui deinceps accesserunt. Quapropter omnes in Lycei aedes compulsi seditionis consilium omiserunt. Qui tamen jocosum in modum cladem acceptam ulti sunt. In commentariolo ab iisdem conscripto atque edito, in quo Lycei casus narrantur, de omnibus rebus nimia quadam fiducia disceptatur, hoc grandibus litteris inscribendum curaverunt: «*Salvere professorem nostrum jubemus, publici ordinis commendatorem, qui discipulorum seditionem, vacationis diem optantium, compressit, sedavit, placavit*». Quantum ludicris studet jucunda juventus!

* * *

Haec dum mente voluto non sine aliqua animi laetitia, quodam languore membra sentio laborare. Surgamus igitur, atque proximum thermopolium petamus, unde et maris quam amplissimus patet prospectus, et aliquid nobis possumus comparare, quod languida membra recreet et confirmet. Ubi mensulae adsedi, potionum minister sedulus advenit, atque: — Quid optas? — quaerit. — Lactis pocillum cum Arabica potionе mixti. Affer praeterea nonnulla crustula.

Abit puer, ut mihi quam primum quae jussi appareat. Oculos interea circumvolvo, aliosque mensulis adsidentes inspicio, raros quidem et provecta jam aetate. An et illi donati rude sunt, atque hoc conveniunt tempus quomodocumque consumpturi? Hic acta diurna summa animi attentione perlegit. Ille nicotianum bacillum Tuscum lente sugit, atque veluti praestituto tempore fumeam nubem ex ore effundit. Illa vero anicula laneum thoracem hamis conserit. Est qui chartulas conscribat lucis ope pictas, ut familiares et necessarios certiores faciat, se, hoc praeclarum oppidulum maritimum visentem, haud immemorem eorum fuisse.

Cum quattuor vel quinque adulescentuli adveniunt (an a magistris desciverunt seditionem aliquam facturi?), qui recta musicalem capsam petunt. In quam ubi nummum injecerunt, illico mira cantiuncula auditur, velut magico quodam artificio excitata. Haud

invenusta quidem cantiuncula est, suavissima canentis vox. Quam ob rem potionis ministrum, qui mihi quae petieram attulerat, haud dubitavi interrogare: — Quae cantiuncula? Cujus vox? — Ille vero quasi obstupefactus: — Advena — inquit — procul dubio es, qui et cantiunculam et canentem ignoras. Cantiuncula *Granada* inscribitur. Canit vero Claudius Villa, cantorum omnium clarissimus, qui haud injuria cantiunculae regulus appellatur. Romae trans Tiberim natus, trans Tiberim habitat.

Quid dicerem? Nihil profecto, sed mihi potius pudendum fuit me tam a juvenalibus studiis esse sejunctum, ut eas cantiunculas nescirem quae vulgo essent cantitatae. Sed cur insimulandus hac de causa sum, cum cantiuncularum sententiae eae sint quae, si quid sciti et arguti significant, amorem omnibus modis omnibusque numeris decantent atque obtundant? Venit nunc mihi in mentem cantiunculae, qua multos abhinc annos (quot? Nemini dixeris, tam multi sunt!) omnes paene furebant. *Valencia* ejus titulus, quam audiebas cantitari foris et domi, noctes diesque. Ejus autem sententiae ineptae, fatuae, futilles. Attamen ejus moduli musici ii erant qui singulari artificio et Hispaniam ejusque terram et mores exprimerent.

Cantiunculis igitur omissis, quod, musicae amantissimus, ejus artis haud imperitus sum, omnia studia ad eos converti, qui jure in hac provincia principes habentur, ad Germanicos praesertim, qui mihi potissimum probantur. Fuit tamen e discipulis quidam, qui e meo caelo musicali in terram, ut ita dicam, me devocavit, quod condere in suum professorem cantiunculam non dubitavit. Hoc ubi ab ejus sociis rescii, sed multo post atque per occasionem, minime turbatus, quin immo quadam tactus noscendi cupiditate qua de causa in tanta apud eum seu gratia seu forsitan offensa essem, discipulum ut mihi cantiunculam audiendam concederet oravi. Cantiuncula, quam cithara concinente, omnibus praesentibus ille cecinit, adeo et omnium et meam admirationem hilaritatemque excitavit, ut optimum factu esse duxerim eam magneticis taeniolis mandare, ut, prout vellem, iterum audirem. Quod, fatebor enim, cum saepius eveniat, ejus verba sunt in mea mente fere insculpta.

*Si vis latine discere,
huc accede propere.
Habemus professorem optimum,
qui menda nostra acriter
insectatur ut aves.
Nec cuiquam parcit umquam,
severus ac morosus est.
At idem ut matercula
nostras flet calamitates
iisque medetur anxius.*

Granada, Valencia, duae cantiunculae quae ex eadem terra ortae, eandem terram celebrant: Hispaniam. Sed quantum inter se differunt! Quod inter eas discrimen! Cantiunculae profecto, ut mores hominum, in annos mutantur. Quod heri placuit, hodie displicet, cras sordebit. At hanc rerum mutationem num in docendi ratione expertus es? Mirum, quod hanc quaestionem numquam mihi ante proposui, numquam alicujus momenti eam esse censui. Cursum litterarum peregi nec ullam dubitationem umquam in animum meum admisi, quae titubantem me efficeret. Vel potius numquam me perfectum absolutumque magistrum existimavi, sed eum potius, qui semper melior fieri deberet, quod docendi ars ea esset, quae nullum progressionis terminum toleraret.

Itaque docendi ratione in annos meliore usus sum, sed numquam mutavi consilium atque docendi propositum a primoribus annis, mihi susceptum. Numquam antiquitatum vel graecarum vel latinarum adulescentes peritos excudendos putavi, sed homines potius instituendos litteris et antiquitatibus usus. Si quis ex me quaesivisset quid in antiquis scriptoribus legendis, vel latinis vel graecis, potissimum exquirerem, sine ulla dubitatione exempla humanitatis me inde haurire respondissem, quae tam excelsa, tam varia sunt, ut quae propria sint unicuique hominum condicioni facile inveniantur. Praeclarum quidem illud Diogenis: «Hominem quaero». At pro mea parte dictitare poteram: «Hominem instituo», qui omnibus vitae condicionibus atque necessitatibus par esset, qui tamen prospectum terrestribus studiis non finiret, sed altiora peteret.

Cum autem homo idem semper sit et omnibus temporibus et omnibus locis, eadem ratione, puto, semper est instituendus. Quod si perfectam absolutamque, quantum fieri potest, effecerit homo suam naturam atque indolem, semper is erit paratus ut temporibus optuletur, ut et suis et civium necessitatibus auxilio sit. Quo consilio usus numquam a statuto proposito descivi, numquam docendi rationem commutandam censui. Quamquam quae priore hujus saeculi parte evenerunt, ea tanta fuerunt quae totius orbis terrarum formam atque institutionem immutaverint. Duo immania bella, ingentes rerum publicarum mutationes morumque conversiones, scientiarum infinitae progressiones novam attulerunt humano generi conformationem atque figuram, novam populorum communilitatem, novos potestatis gradus.

Quae omnia, etsi tanta, quanta vix mente concipi possunt, a praestituta docendi ratione numquam me amoverunt, quod non caduca ac fluxa sectabar, sed diurna ac prope aeterna. Quapropter temporum vices hominumque studia nullam in me potestatem atque vim exercuerunt. Semper idem, meique semper similis fui, etiam cum quidam in Italia, vir indoctus omnisque antiquitatis imperitus, hoc

ausus est affirmare, imperium super fatales Urbis arces iterum apparuisse.

A factionibus alienus omnes labores semper in discipulis insti-tuendis impendi, hoc uno contentus quod mutua benevolentia obstricti discipuli et magister non solum societatem, sed familiam quandam conflaverant.

* * *

— A tam cara ·familia nunc amotus, solus tempus teris! Surgamus ergo atque ambulando aegritudinem lenire conemur —. Potio-num ministrum advoco: — Quanti? —. — Ducentis quinquaginta libellis —. — En tibi trecentae. Reliquae tibi muneri sint —. At mi-nister: — Gratias — inquit — quam maximas tibi ago. Vin alteram cantiunculam audire? —. — Minime. Hodie satis est —. Atque lento gradu extremum litus peto, ubi arena maris undis alluitur.

Consisto. Quae undae nuper leniter litus lambebant ac fere mul-cebant, nunc concitatores factae ac minaces, ingenti fremitu assur-gunt totum litus petiturae, ita ut aliquantum recedere cogar, ne spu-mis inspergar. Locum opportunum nactus, undas saevientes contem-plor, oculos in aliquam ex alto ruentem inicio, eamque sequor donec immani fragore in rupes illiditur atque in spumas nive candidiores infringitur, quarum guttulis totus aer humore salso madet. Quamdiu hic moratus sum? Nescio, sed haud paulisper puto, quod hoc unda-rum saevientium spectaculum, quamquam semper idem, suique sem-per simile, magno mihi erat oblectamento, atque quibusdam cogita-tionibus idoneum.

Ut mare schola. Quae usque ad extremos docendi annos tranquilla et sedata, velut placidus amnis, statutum iter pergebat, nunc impro-viso saevis procellis agitata, quo tendat quidve petat ipsa nescit. Quae factionum studia a docendi ratione semper summa cura et dili-gentia arcui, amovi, prohibui, nunc velut agmine facto in scholas irrumpere conantur. Quae seditiosi petunt, alia sunt sine ulla dubi-tatione probanda, alia vero fortiter recusanda. Si scholarum aedi-ficia pauca angustaque sunt, si iis scientiarum instrumentis haud pree-dita sunt, nostris maxime temporibus necessariis, ut novissimis in-ventis discipuli instituantur, haec omnia quam primum comparen-tur, ut populis nova quodammodo humanitate imbutis pares simus.

Sed mea quidem sententia duae praecipuae sunt causae, quibus seditiones in scholis ortae sunt.

Studia olim superioris humanitatis ab iis tantum colebantur qui opibus atque divitiis pollebant. Quare pauci erant discipuli, familia-rum quadam institutione expoliti, atque ex aequalibus selecti. Si quis minus idoneus ad studia humanitatis colenda habebatur, vel proprii magistri auxilio utebatur, vel alia studia adibat quae suae mentis

facultatibus essent idonea. Sed ubi hoc in vulgus prodiit, quod profecto aequum atque justum habendum est, scilicet humanitatis atque munus civium omnium esse debere, atque scholarum fores pueris adulescentibusque omnibus patuere, ingentes, ut ita dicam, copiae in vetera studiorum aedificia irruperunt, quae et pauca et angusta novis discipulorum catervis fuere. Qui tamen, etsi exiguis mentis facultatibus praediti, ad felicem studiorum exitum nihilo minus pervenire quovis pacto contendunt. Quam ob rem veteres discendi rationes incusantur, quod obsoleta jam sint, re vera quod difficiliores, utpote quae mediocres facultates discipulorum superent. Quod in rerum natura plerumque fieri videmus, id etiam in scholis accidit. Major discipulorum copia virtutes et docendi et discendi minuit, ut doctrina omnibus mentibus, vel ineptis, accommodetur. Ni ita fit, seditiones oriuntur, defectiones a magistris, qui vel imperitae vel nimii in vetera instituta obsequii insimulantur.

Altera est causa qua studiorum disciplinae funditus perturbantur. Qui suae factionis incremento maxime student, ubi operarios in firmissimas acies constituerunt, haud parvam sibi potestatem adipisci se posse existimaverunt, si adulescentium copias ad arma excitavissent. Qua in re optimum a Cina atque a Maotsetungo, ejus rectore atque moderatore, exemplum sumpserunt, hoc praedicantes nullam auctoritatem in adulescentes esse exercendam, quod contra auctoritatis et fontem et arbitrium apud eos esse, qui sui juris consciit esse debent. Quapropter iis unis esse statuendum quid deceat, quid opus sit. Quam in scholas seu irruptionem seu corruptionem vitam esse affirmant, cum antea vel ignavia vel segnities vel quaedam mors dominatae sint, divitum hominum beneficio et opera.

Ubinam nunc, miselle, illa tua ab omnibus factionibus libertas? Ubinam illa tua docendi ratio, quam integrum atque immutatam servasti usque ad extremum exitum? Nonne decadendi forsitan de statione tempus advenit, atque arma locumque tradendi junioribus collegis, qui novum vitae afflatum in scholis excitandum esse praedicant, vetustis et deterioribus institutis amotis? Qui quanto te doctiores sunt, cum de pacta mercede, de stipendiis, de muneribus debitiss, de opificum artificumque collegiis quam optime disserere valent, cum tu ad mensae argentariae ostiolum semper ignarus accesseris, qua ratione stipendum tibi esset computatum! Iidem vero ad seditionem discipulos haud dubitant excitare, ipsique primi pili illius discipulorum agminis fiunt, quod vias urbis clamoribus implet, ut constitutus rerum ordo evertatur.

* * *

Cum e tam molestis cogitationibus navis sibilis haud procul solventis eripior, ejus motus intentis oculis sequor, donec in altum

evanescit. — Haec una — mecum aio — est e multis utilitatibus, quibus mihi frui licet, ex quo munere officioque docendi vaco, scilicet, ut libet, otiali, atque tempus ad meam voluntatem adhibere, nullo mihi obstante. Ergo haec commoda, amice, spernes? Si vis ad multum diem somnum producere, quis prohibebit? Si vis tota Italia, vel toto orbe terrarum peregrinari, quis vetabit? Si vis acrius in scriptorum vel latinorum vel graecorum studia incumbere, quis impedit? Si vis... Sed cur tanta aegritudine labore, ut nihil horum me possit delectare?

Priusquam ultimus in docendo annus insumptus ad exitum perveniret, scholae moderatorem rogavi ut extremo die officio vacarem, idque aegre rogavi, quippe qui mei commodi causa ne ullum quidem umquam petiissem. Nolebam enim summa animi commotione perturbari, si extremum vale discipulis dixisset. Abire malueram anglico, ut aiunt, more, nulla salutatione data, nulla accepta. Quod moderator, qua humanitate est, mihi comiter concessit, praesertim cum eo die lectio, quae dicitur, brevis habeatur.

At discipuli, utrum meam fraudem suspiciati an certiores facti, incertum, extrema hora ubi finem docendi feci, omnes uno impetu e sellis surrexerunt, et conferti cathedram circumdederunt atque una voce summa animorum commotione: — Gratias — inquiunt — tibi quam maximas agimus pro omnibus quae nostrae utilitatis causa fecisti. Tui numquam obliviscemur.

Si centum etiam annos vixero, mirum hoc temporis momentum numquam obliviscar. Coronam discipulorum conspicio me in cathedra sedentem paene obsidentium. Comae nigrae et flavae, vultus rosei et palliduli, oculi cerulei caesiique in unum circa me collecti, eam imaginem effingunt, ut si quis varios nectat purpureosque flores. Discipulorum autem voces, qui pro sua quisque parte intimos animi sensus manifestare certant, jucundum concentum efficiunt, quo summopere delector. Quid responderim nescio, hoc tantum memini, pauca me verbis, multa lacrimis significavisse. At illi deinde me etiam in via usque ad aedes meas deduxerunt, ibique aliquamdiu commorati sunt, tamquam si nollent a me sejungi.

Quid mirum si nondum mihi videor discipulos deseruisse, si noctu etiam in somnis docendi officio libenter fungor? Nocte praeterita vehementer excruiciabar quod discipulo, quem minime noveram, frustra de temporum consecutione praecepta explanare conabar.

Atqui semper potui et graeco et latino sermone ita discipulos erudire, ut anno docendi exeunte omnes fere ad superiorem classem promoverentur.

Hoc autem quotannis mihi maxima laetitiae fuit, quod exceptis admodum paucis, ceteri discipuli in antiquitatis studiis summopere profecerunt. Quare qui matura suae institutionis atque doctrinae periculum obierunt, semper probati sunt, multi cum laude.

Sed nunc dum solus otiaris, atque in extremo litore vagaris auras captans marinas, quae delassatis tuis lateribus aliquid delenimenti possunt afferre, mente procul erras atque furtim in nota jam dudum ingrederis conclavia, ubi pleramque tuae vitae partem haud invitus consumpsisti. Tibi ingredienti non assurgunt, quos tamen singulos vides in subselliis suis eo ordine sedentes, quem ipse ineunte anno praeterito statueras. En illic Eugenius Lalli, qui in scriptis vel latinis vel graecis vertendis, caput circumvolvit, auxilium sibi petiturus, atque limis oculis e propioris socii commentario quae jam statuto sermone redditia sunt, haurit vel surripit. Hic vero Antonius Vaselli, qua diligentia est, nullum docentis verbum pessum ire patitur omniaque magistri praecepta adversariis sedulus mandat. Et te, Georgi Villi, reviso, qui soles, quae tua est mentis acies, ex me multa quaerere, mecum multa discepere, ita ut colloquium paulatim cum omnibus discipulis instauretur. Sed quid singulos in mentem revoco? Omnes et agnosco et contemplor. Ne impedimento tamen docenti sim, neve vos a discendo importunus amoveam, ut furtim ingressus sum, ita furtim decedam, aliquid tamen et mei animi et mei cordis vobiscum relinquam.

* * *

Sed haec dum anxius mente voluto e proxima turri aera sacra in numerum pulsata, jam meridiem admonent advenisse. In deversorium igitur redeundum, ut vires extenuatas et cibo et postmeridiana quiete reficiam. Iter in litore prius habitum remetior. Omnia vestigia quae profunda in arena impresseram nulla sunt, evanuere maris undis et ablata et deleta. Quod factum, qua de causa nescio, in triste praesagium verto. Discipuli, memini bene, mihi abeunti una voce obtestati sunt: — Semper tui memores erimus — Quatenus haec verba vera et sincera habenda sunt? An discipulorum obtestationes ut nautarum promissa existimandae?

Ceterum rerum hominumque naturae consentaneum est ut anni labentes et casus vitae et temporum vices in discipulorum animis mei memoriam minuant vel omnino deleant. Manebit tamen in perpetuum quidquid boni, quidquid recti, quidquid honesti in animis eorum impressi.

Quod ad me attinet, cum navem illam atram concendero, illuc me laturam unde negant redire quemquam, in animo jam deficiente mihi praesto erunt discipuli, magistrum, ut olim, quasi florea corona circumdantes.

DE CONVENTU OVIDIANO TOMIS HABITO

Anno 1972 mense Augusto exeunte permulti docti homines undique gentium in Dacoromanorum fines convenerunt in regionem illam ad Pontum Euxinum vergentem quae a Romanis Scythia minor appellata est saeculisque labentibus jam inde a media aetate nomen Dobrogiam accepit a Dobroticio regulo quodam Byzantio ductum, ad conventum Ovidianum in urbe Constantia (Dacoromanice: 'Constanta') concelebrandum, quae Dobrogiae caput est. Quae quidem urbs doctissimorum virorum sententia eadem esse putatur cui Ovidii temporibus Tomis nomen fuit¹.

Ut inter omnes constat, studia Ovidiana in Dacoromanis florent vigentque; quibus de studiis praeter ceteros optime est meritus Nicolaus Barbu professor ille Bucurestiensis cuius opera, Dacoromanorum rei publicae rectoribus faventibus, anno 1970, cum conventus ille amplissimus de Latina humanitate Bucurestiis celebraretur, societas condita est studiis Ovidianis promovendis atque propagandis, cui *Ovidium* nomen est inditum. Qua societate curante anno 1972 conventus Ovidianus Constantiae habitus est. Proximus conventus post tres annos in Italis Sulmone habebitur, ubi poëta natus est. Quod cum sollemniter a Nicolao Barbu nuntiatum est, nos Itali praeter omnes laetati sumus eo quod anno bis millesimo volente post Ovidium natum, i.e. anno 1958, primum illum omnium gentium conventum Ovidianis studiis fovendis Sulmonenses splendidissime apparavere atque agitavere eo quoque consilio ut subsequentes excitarent conventus². Utinam voti compotes fiant viri illi humanissimi et quarto quoque anno vel Sulmonem vel Constantiam homines doctissimi ex omni terrarum parte convenient ad poetam excolendum atque celebrandum! Anno 1958 Sulmonensium civitas poetae suo monumentum exegit nescio an aere perennius, utilius quidem:

1. De nomine regionis cf. C. EICHENSEER: *De Roboretanis Feriis Latinis* in «Voce Latina», a, VIII, 1972, n. 30, p. 32, adn. I.

2. H. PARATORE: *Oratio auspicalis* in «Atti del Convegno internazionale Ovidiano», Sulmona, maggio 1958, Roma, Istituto di Studi Romani ed., 1959, vol. I, p. 12.

omnes enim relationes et commentationes in conventu habitae publico sumptu impressae non solum testimonia gravissima et documenta praestant studiorum eo tempore peractorum sed etiam incitamenta studiosis hominibus praebent ut in rebus Ovidianis allaborent indagandis atque perspiciendis³. Quid de Instituto illo Bibliographic Ovidiano dicam anno 1958 peropportune Sulmone condito⁴? Quo Instituto curante liber qui Italice «*Bibliografia Ovidiana*» inscribitur editus est, ab Hectore Paratore doctissime diligentissimeque conscriptus: in eo indices invenias non solum incunabulorum et editionum Ovidii operum quae jam inde a saeculo XVI ineunte impressae sunt, sed etiam omnium librorum et lexicorum et commentationum ad studia Ovidiana attinentium quae usque ad annum 1958 apparuerunt⁵. Hic denique, reliquis praetermissis, memorae me juvat novum expolitumque libellum quem Sulmonensium civitas Tomitis donandum edidit⁶ cum conventus Ovidianus anni 1972 celebratur. Anno 1958 de Ovidii vita et operibus et fortuna apud posteros ubicumque in Dacoromania acroases habitae, ludi scaenici Ovidiani dati sunt, novae poetae operum editiones impressae ejusque poemata in Dacoromanorum sermonem redditum sunt, commentationes criticae, narrationes et scripta alius generis prodierunt. Si quis Georgii Bulgar commentationem legerit de Ovidio anno 1958 in Dacoromania multimodis celebrato necnon perutilem illum librorum indicem a Joanne Fischer quam diligentissime perscriptum, multa inveniet quae in usum vulgata sunt non solum eorum qui in studiis vel Latinis vel peculiari modo Ovidianis versantur, sed etiam cum scholarum tum eruditorum omnium hominum⁷. Ex iis quae tum in disciplinis ad studia antiquitatis pertinentibus indagata et pervesigata sunt praeter cetera memoranda hic mihi videntur Nicolai Bar-

3. In «*Acta*» mem. scripta collecta sunt 43 numero a doctissimis viris et Italis et alienigenis de rebus Ovidianis exarata.

4. *Bibliografia Ovidiana* a cura di E. PARATORE. Comitato per le celebrazioni del Bimillenario, Sulmona, p. 5.

5. Anno 1958 Lutetiae Parisiorum opus amplissimum gravissimumque apparet q.i. *Ovidiana — Recherches sur Ovide publiées à l'occasion du bimillénaire de la naissance du poète par N. I. HERESCU*. Paris, Soc. d'éd. «Les Belles Lettres», 1958. Quo in volumine multa eaque magni momenti insunt et ab Italis quibusdam et a Dacoromanis perstudiose conscripta.

6. A. DE NINO: *Ovidio nella tradizione popolare di Sulmona*. Testo riprodotto da A. DE NINO: *Tradizione popolare abruzzesi*, vol. II (a cura di B. Mosca). L'Aquila, L. U. Japadre ed., 1972, pp. 54.

7. GH. BULGAR: *Bimilenarul Ovidiu in România*, in «*Studii Clasice*», I, 1959. Editura Academiei Republicii Populare Române, pp. 225-228; J. FISCHER: *Bibliografia Clasica Româneasca (1947-1957)*, ibidem, pp. 229-245, passim.

bu, Nicolai Lascu, Trajan Costa aliorumque doctissimorum virorum scripta in volumen illud collecta q.i. «*Publius Ovidius Naso*»⁸. Tum Constantiae Institutum illud conditum est studiis Ovidianis provehendis (Dacoromanice: *Centrul de studii Ovidiene*), eo praesertim consilio ut, ad ea penitus exploranda illustranda et dijudicanda quae Ovidius in «*Tristibus*» et in «*Epistulis ex Ponto*» de situ moribus ac populis tradidit Scytharum, horum operum novae criticae editiones pararentur atque imprimerentur, amplissimis commentariis instructae de rebus philologicis et historicis, nova praeterea scripta ad studia Ovidiana pertinentia publicarentur, et quae praecipua exstante jam apud exteris gentes impressa in Dacoromanicum sermonem translata vulgarentur.

Multa de Ovidio scripta jam inde ab anno 1968 in commentariis apparuerunt qui «*Pontica*» inscribuntur, quotannis a moderatoribus Musei Archaeologici Tomitani editis. In proximo «*Ponticorum*» volume index apparebit operum quae in Dacoromanis post annum 1956 impressa sunt, curante Nicolao Lascu, qui Constantiae Instituto Ovidiano merito praeest⁹.

Operae quidem pretium est hic memorare Constantiae in amplissimo illo Museo Archaeologico plurima collecta apteque disposita esse quae in agro Tomitano impigre alacriterque explorato atque effosso viri illi reppererunt antiquitatum studiosi qui archaeologi appellari solent. Innumera fere hoc in Museo invenias opera artificio perfecta, columnas, statuas, sarcophagos, lapides inscriptos, ornamenta aliasque res id genus, quae de antiquissimis regionis illius incolis testimonia perhibent. At res una omnium exspectatissima deest, Ovidii sepulcrum, ad quod inveniendum atque detegendum archaeologi illi omnes ingeniorum animorumque vires intendunt impigre enituntur. Utinam tanto incepto prosper exitus serius ocius contingat!

At non possum hic omnes doctos homines recensere qui in Dacoromanis de studiis Ovidianis optime sunt meriti: sat est Nicolaum Barbu et Nicolaum Lascu necnon Radu Vulpe et Dionysium M. Pippidi archaeologos peritissimos memorasse.

8. «*Publius Ovidius Naso*». XLIII i.e.n. — MCMLVII e.n. Bucuresti, Ed. Academiei R. P. R., 1957, p. 581, 8.^o, passim.

9. Multa de Ovidio et Dacoromanice et Italice magister hic doctissimus scripsit: ejus commentationum et librorum ad res Ovidianas attinentium cf. indicem in vol. N. Lascu: *Ovidiu omul si poetul*. Cluj, editora Dacia, 1971. pp. 473.

Ad conventum ab Ovidiano apparatum celebrandum Constantiam plurimi rerum Oidianarum studiosi ex omni terrarum parte conve- nerunt. In conventus sessionibus relationes et commentationes multae habitae sunt, at nonnullas tantum audire potui cum oratores in aedibus Instituti Paedagogici Tomitani alii in aliis conclavebus plerumque simul dicerent. Latine plurime dixerunt; quidam autem vulgaribus usi sunt sermonibus.

Nicolaum Barbu professorem illum Bucurestensem eumque Ovidiani praesidem laeta et libens audivi et conventus initium facien tem et litteras auspicales Georgii Maurer supremi consilii publicae rei moderandae praesidis, Dacoromanice conscriptas latine reddentem et de Ovidio poeta doctissime dicentem necnon ea recensentem quae nostra aetate de Ovidio ejusque operibus auctores alii aliter sentientes scripserunt et in mihiorem et in deteriorem partem interpretati. Quas sententiarum varietates et dissimilitudines protulit magister ille praeclarus, quot rerum discrepantias breviter perstrinxit!

Si quis orationum indicem oculis lustraverit quae in conventu habitae sunt, res plurimas easque varias et distinctas videbit a doctissimis illis hominibus pertractatas. Quid de Sulmonensi poeta ejusque operibus XX his annis scriptum judicatumque et doctissime indagaverunt Gregorius Tanasescu, Olynthus Pasqualetti, Antonius Manzo, Henricus Le Bonniec, Stephanus Kresic et alii.

Sulmonenses qui aderant et qui a Dacoromanis praeter omnes benigne et comiter vereque fraterno more excepti sunt utpote qui ex eadem gente Paeligna qua poeta essent prognati, una cum reliquis Aprutinis quaedam memoria dignissima protulerunt. Marius Marcone professor Sulmonensis idemque civitatis illius bibliothecae praefectus egregie concinneque dixit artissimis quibus humanitatis et amicitiae vinculis Ovidii opera Italicae et Dacoromanicae gentes conjunctae essent. Paulus quoque Di Bartolomeo Sulmonensis civitatis magister verba fecit peropportuna atque luculenta. Genius quidem et prope dicam praeses atque patronus Ovidius factus est et Sulmonensium et Tomitarum! Eum quasi numen genticum Sulmonenses habuisse ostendit Ilius Di Jorio testimoniis nisus nobis minime vel parum notis¹⁰. Angelus Maria Scalzitti de Instituto egit studiis Ovidianis Sulmone condendo, Josephus Minicione de Proserpina in operibus Ovidii et Claudiani, Franciscus Cercone de via Minucia et de

10. Illi De Jorio oratio de Ovidii fortuna in «Voce Latina», a. VIII, 1972 p. 56-59 impressa apparuit.

templo quodam Jovi dicato, Maria Rossini de arboribus et floribus in «*Metamorphoseon*» libris.

Adfuit quoque exilis, at egregia et in arte exercitatissima manus linguarum cultorum, qui graeca voce glottologi appellari solent. Marcellus Di Giovanni quid neutrius generis superesset indagavit in vulgaribus Aprutinorum sermonibus et in lingua Dacoromanica. Ernestus Giammarco de valle Paeligna dicens cum lingua tum moribus romana facta, docuit Sulmonenses cives multa a latino in suum sermonem derivata in omne tempus servasse idemque illustravit quibus in rebus et Aprutinorum et Illyriorum vernaculi sermones inter se congruerent atque convenirent. Alfredus Carpineto Ovidium praefatus numquam nominis Paeligni fastidiosum fuisse, de sermone Paeligno dixit quo usus est poeta antequam se Romam contulit.

De Ovidianis dictionis figuris et de allegoricis poetae operum interpretationibus quae apud scriptores mediae quae dicitur aetatis inveniuntur Alanus Michel et Joannes Ballistreri doctissime indagaverunt. De Ovidio quoque in italicis mediae aetatis litteris disertissime dixit Joannes Ballistreri. Quae propria essent Ovidii narrandi artis Michael von Albrecht et Henricus H. Huxley recognoverunt. Humanitatem Ovidianam Aloisius Alfonsi, Antonius La Penna, Richardus Avallone aliique clarissimi doctores sibi proposuerunt illustrandam. De Ovidio apud Polonus luculenter doctissimeque suo de more dixit Casimirus Kumaniecki, de Ovidio apud Byzantios Joannes Irmscher. Quantum poeta in litteris Lovenicis, Bohemicis, Francogallicis, Russicis, Dacoromanicis promovendis valuisset Cajetanus Gantar, Eva Kaminkova, Josephus Triska, Janus Sprincl, Vilfridus Stroh, Sorina Bercescu, Helena Loghinowski, Demetrius Pacurariu disputaverunt. Quo melius Ovidii opera intellegi possent Salvatore D'Elia ea investiganda esse contendit quae Augusti aetate novata in re publica et immutata essent, qui civium coetus Romae tum prodiissent et increvissent, quomodo se novi hi homines gessissent, certis nisi rationibus vel ad rem publicam vel ad mores institutionemque vitae attinentibus, et res quae oeconomiae dicuntur pertractavissent. Quorum novorum hominum in numero qui, publica munera negotiaque aspernari et fastidire soliti, et rebus agendis caverent ne implicarentur et Augusto sine industria et studio faverent, Ovidium principem quidem habuisse locum ejusque poemata aetatis illius tempora et personas sapere quodam modo ait atque redolere.

Victor Pöschl professor ille Heidelbergensis ostendit poetam narratione de Lycaone in I «*Metamorphoseon*» libro intexta res quas-

dam romanas adumbrasse idemque venam illam remissae hilaritatis extulit, que ad res atrocissimas quas exponit mitigandas sagaciter acuteque utitur poeta. Magistri illius disertissime dicentis praeter modum mirata sum et doctrinae copiam et vividum orationis genus singularique festivitate distinctum.

Richardus Avallone professor Salernitanus «*Tristia*» et «*Epistulas ex Ponto*» laudavit quippe quae nec humanitate illa Ovidii propria nec poeticis luminibus artificioque carerent. De poetae caritate in animalia breviter concinneque dixit Arvidius von Taube professor Bremensis.

Orationem a Caeleste Eichenseer de Ovidio inter Romanitatem et Christianitatem versato habitam, quam Tomis audire non potui, in libellis «*Vocis Latinae*» impressam legi¹¹. Doctissime ille quidem res propositas considerat et pertractat quippe qui et scriptores Christianos veteres in promptu habeat et penitus noverit quid nostrae aetatis docti homines hoc in genere senserint atque dijudicaverint. Sergius quoque Felici de Ovidii fortuna dixit apud latinos auctores Christianos. Domini Caroli Egger qui adesse non potuit nuntiatam orationem de Ovidio apud scriptores ecclesiasticos in volumine *Actorum* nobis legendam praesto fore reor. Valde dolui quod Casimiri Kumaniecki professoris illius Varsoviensis praeter ceteros et reconditiae doctrinae copia et ingenii acie et singulari latine dicendi facultate praestantissimi orationem de Ovidio apud Polonos exaudire non potui. Cum latina lingua usus vel in doctissimorum virorum coetu luculenter gravissimeque dicit vel amicos comiter urbaneque alloquitur, homo ille quidem latinus mihi videtur nostrae aetati praeter opinionem restitutus. Quis enim eo fusius, eo concinnius elegantiusve dicere valet? Ne dicam de rebus minime plerumque vel parum notis quas de more profert explicatque, de sententiis et judiciis acerrimis quae audientes edocet. Cum eum exaudire mihi contigit, Dantis Alagherii versus hi mihi in mentem incident: «*Ancor vo' che m'insegni / e che di più parlar mi facci dono*» (*Inf.*, VI, 77-78), i.e. «*Plura a te addiscere excupio tuoque amplius sermone donari*». Jure meritoque magister hic qui ubique gentium honoribus cumulatus est meritis quaesitis, nuper Romae in Capitolinis aedibus praemio illo donatus est rerum Romanarum cultoribus quotannis attributo¹².

11. C. EICHENSEER: *De Ovidio inter duos mundos versato, Romanitatem et Christianitatem*, in «*Voce Latina*», a. VIII, 1972, n. 29, p. 11-18; n. 30, p. 60-71.

12. Cf. «*Il Premio Cultori di Roma per l'anno 1973*» in commentariolis «*Rassegna d'informazioni dell'Istituto di Studi Romani*», Roma, a. XLI, 1973, n. 10, p. 2.

De rebus ab eo Tomis pertractatis ab Ignatio Richardo Danka professore Lodzieni certior facta sum qui —qua humanitate est— mihi narrationem a se exaratam de conventu Tomitano misit, quae nunc in «*Voce Latina*» impressa legi potest¹³. Richardum autem Danka, amicum meum inter certos certissimum, intento animo audivi uberiorius in conventu dicentem. Polonus hic acri fervidoque ingenio et copiosissima multifariaque doctrina insignis necnon procera statura grandique corporis habitu, quaedam Dacoromanice praefatus multa Latine de quaestionibus nonnullis ad «*Fastos*» attinentibus doctissime disseruit. Orationem magnam operosamque citius propter temporis angustias legit incitatoque gradu multa praeteriens atque intercidens ad perorationem festinavit velut amnis fervidus immensusque monte decurrens, ut Horatii verba (*Carm.*, IV, 2, 5-8) proferam: ea enim rerum copia, eo dicendi impetu eaque vi praestitit orator.

Andream Thierfelder professorem Magontiacensem eumque poetam latinum egregium intento animo audivi de Ovidio epicedion a se exaratum¹⁴ legentem. In elegis condendis Sulmonensem scite secutus subtiliter eleganterque cecinit poeta ille Germanus Ovidii fatum nomenque cum Scytharum et Getarum in omne tempus conjunctum. Multa quidem Magontiacensem levat Ovidiana aura cycnum! Ovidii religionem quam doctissime et disertissime penitus perspexit indagavitque Robertus Schilling professor ille Argentoratensis.

Nicolaus autem Lascu plurimos poetas atque scriptores recensuit omnium fere gentium omniumque aetatum qui jam inde a saeculis quae media dicuntur et latina lingua et vernaculis sermonibus usi fabulam de Pyramo et Thisbe ab Ovidio narratam variis dissimiliibusque rationibus secuti et imitati sunt.

Hic demum liceat mihi Casimiro Kumaniecki, Georgio Starawski, Caelesti Eichenseer, Richardo Danka, Georgio Bulgar, Constantiae De Luca reliquisque doctissimis amicis gratias agere qui me benigne audiverunt dicentem quid ex Ovidii operibus in Leonardi Vincii scripta esset derivatum. Leonardus, qui linguae latinae dicendae plus quam semel operam dedit et «*Metamorphosis*» et «*Heroidas*» in suis libris asservatas in promptu habuit, de rebus scribens quas Ovidius cecinerat Ovidianos locos nonnullos secutus et imitatus est, quaedam suo de more immutans et novans.

13. I. R. DANKA: *Conventus Ovidiani relatio* in «*Voce Latina*», a. VIII, 1972, n. 30, p. 43-52; a. IX, 1973, n. 31, p. 10-24.

14. A. THIERFELDER: *Epicedion Ovidii poëtae*, ibidem, n. 30, p. 53-55.

In aprico illo Ponti Euxini litore saepius mihi Leonardus animo occurrit et propter ea quae de Pontico mari scripsit longius latiusque remotissimis temporibus in infinitum fere patente et propter paginas praeter ceteras luculentas quas de conchis marinis fossilibusque animalibus exaravit. Mamaiae enim quasdam vidi massas lapideas in quibus conchae marinae et pauxillula alia fossilia inerant.

* * *

Postremo conventus die in theatrum convenimus ad Ovidiani consilium elegendum. Tum Nicolaum Barbu audivimus nominum indicem doctissimorum virorum legentem quos ex omnibus gentibus scite selegerat; qui homines tum, omnibus qui adfuimus plaudentibus, in Consilium sunt cooptati. E theatro postea una cum Michaele von Albrecht egressa sum, qui vir est urbanissimi suavissimique sermonis: cum tot plausus unicuique Ovidiani rectorum dedissemus, inter nos perbelle convenit, aliquid plausus nobis quoque jure esse tribuendum, qui diu multumque res Ovidianas in animis reputantes libris et chartis incubuissemus ad commentationes nostras conscribendas et perpoliendas. Qua de re laeti et libentes statuimus in pagum qui Dacoromanice *Murfatlar* appellatur cum reliquis sodalibus convenire ad bacchicum quasi embolium celebrandum: in pagum enim illum amici de more loci congregari interdum soliti sunt hilaresque degere horas in vinis omnis generis gustandis. Postmeridiano enim tempore aliquot petorritis Pullmannianis vectati in pagum pervenimus et postquam Museum Archaeologicum et magnas illas vinarrias cellas invisimus, in maximam quandam tabernam deversoriam ingressi ad mensas prout fors tulit et amicitiae conjunctio distracti et congregati sumus. Tum leve puellarum pulcherrimarum agmen prodiit quae Decoromanico more vestibus induitae variis coloribus distinctis mirumque in modum acu pictis, per gradus lignearum scalarum celeriter descendentes quae in medio illo perlucidoque conclave exstabant, quoquo versus fercula attulerunt cuppediis repleta a nobis ante ingustatis. Nihil quidem apponi potest offulis illis exquisitus mellitulis, nescio qua sapida bonarum rerum mixtura confectis butyroque oblitis, nil gustatu suavius vel globulis illis minutulis dulciculisque vel crustulis modice piperatis lepidoque quodam sapore imbutis.

Quibus Saliaribus dapibus momento temporis —ut par fuit—

haustis, ad puellas rursus advenientes oculos vertimus quae e plenis lagoenis vina nobis in pocula iterum iterumque infuderunt, subbibentes ad deplendos calices monentes. «Nunc est bibendum»; nescio quis ita nos monuit Horatium secutus. Vinnula hic Nicolai Barbu memoranda est oratiuncula, qui nos festive allocutus invitavit ut Bacchum post Minervam coleremus. O lepidum, o festivum caput! Haud mollibus ejus jussis obsecuti vina Dacoromanica gustare coepimus. At ego Postumiae illius memor quae teste Catullo (27,4) ebria acina inter pocula ebriosior evadere assueverat, primoribus tantum labiis vina ligurrire statui ne forte —invita quidem— ebrietatis limen attingerem neve mente Dacoromanico lymphata abirem. Tum Eduardus Ferentz Jasiensis qui ad mensam apud me assederat, latina lingua expedite profluenterque usus nos docuit tres esse ebrietatis gradus, quorum primum in hoc esse si pedes vacillarent, secundum si oculi iterata viderent, tertium si os titubaret. Quos quidem gradus nemo tum nostrum ascendit, nemo vino incaluit.

At ex improviso in maestitiam immutata est laetitia cum Eduardus Ferentz nos certiores fecit Joanne Cojocaru, adulescentem praeter omnes egregiae spei, gravissimo morbo correptum diuque excruciatum paucos ante menses immatura morte esse peremptum. Adulescentem illum qui in numero discipulorum Nicolai Barbu et ingenii acie et litterarum latinarum amore primas quidem partes egit, Bucurestiis neveram cum conventus ille splendidissimus de humilitate latina anno 1970 celebraretur: omnium studia in se tum ille conciliavit qui et in omnes suopte ingenio benignus esset alacer officiosus et latina lingua mirum in modum fuse atque expedite uti valeret. In Italiam venire se mihi dixit ex animo exoptare ad claras nostras visendas urbes mihiique est pollicitus se aliquamdiu Florentiae mansurum. O fallacem hominis spem! Nullas Hesperias, Acherusias attigit ille oras. Ut Endymion somnum nunc dormit Joannes Cojocaru omnium arctissimum nec sol eum oblectat neque juvenilia tangunt.

Cum mortis imago inter compotantes irrepsisset, minus jam convivalibus sermonibus delectati sumus nec ullum mecum ferendum cepi e poculis illis minutis et rorantibus nomine *Murfatlar* inscriptis, quae in mensis hospitibus praesto erant parvo.

Conventu exacto, Bucurestios ferrato tramine contendimus ibique noctem accepimus. Postriduano mane postquam Nicolaus Barbu nos singulos et universos in aeroportu effuse humanissimeque salutavit, velivolo vectati in altos —ut ait Horatius (Carm. IV, 2, 26-27)— tetendimus nubium tractus liquidoque itinere ocissime confecto in Romanum pervenimus aeronavium portum cui «Leonardo da Vinci» nomen est. Exinde hamaxosticho rapido usa Florentiam ad desideratum larem redii.

ANGELA MINICUCCI
Via Vittorio Emanuele, 126
50134 FIRENZE (Florentiae in Italia)

“NE CESSARE PUTES RERUM PRIMORDIA POSSE”

(LUCR. — *De rer. nat.* II, 80)

I

«ITA SE TULERUNT SEMINA AQUARUM»¹
(archilochium)

(LUCR. — *De rer. nat.* VI, 672)

Jam non resplendens sol, torto crine, pererrat
Aerias latebras,

Atque suae frontis lucem mortalibus aufert
Et calidos radios.

Erumpit praeceps, dein, imber, opacus et aether
Imminet, usque minans.

Num solem penes et simul omnis sidera caeli
Vis malefida latet?

Nimborum strepit hic furor; hic rapit arva petentes
Fluminis unda greges;

Omnes permiscens silvas succidit amoenas
Funditus hic boreas:

Jamque repente domus vi detegit imbrice tectas;
Saxa vel ipsa movet.

Vertice deiciunt summo juga tonsa ruinas:
Mole sua lapides,

In mediis et ubique viis, caenumque palustre
Constituuntur obex.

Vix acta rate vel sudibus contisve per urbes
Ecce secantur aquae:

1. Pridie nonas novembr. MCMXVI horrenda colluvies ventorumque impetuosi turbines magnam italicae regionis partem tanta violentia vastaverunt, ut numquam antea hujusmodi accidisse procellas memoriae traditum fuerit.

Nobilis artis, item cultus Florentia mater,
Facta lacuna, gemit².

Sunt quae visit enim prius advena mira, stupescens,
Sordida facta luto!

Primigenae scriptae membranae sorde madentes,
Conspicuae minio³,

Artis ad antiquis ducta exemplaria saeclis
Quam pretiosa, jacent!

Aurea quas aetas, multum perpessa labore,
Egregiae tabulae⁴,

Artificum manus aut quas praestantissima fecit
Tot statuae, pereunt!

E caeli latebris sol, demum, luce, tempore
Res hominesque beat:

Tristia quae tamen hic illic jam damna reliquit
Tam gravies alluvies!

Itala sed virtus, animis quae semper inhaeret,
Omnia restituet.

Ille Bonarroti spirabit, liber in auras⁵,
Vincii et ille animus⁶;

Umbra Calandrini tum quaeret et illa lapillos⁷
Jam vitreas ad aquas...

Omnia jam tua, mox reparet, Florentia, virtus:
Te foveat pietas, flagret itemque fides!

2. Damna, praeter ceteras gravissima, urbs Florentia tulit.

3. Vulgo, italice: «codici membranacei, cioè su pergamena, miniati.»

4. Vulgo, italice: «capolavori d'arte pittorica e statuaria dell'età classica».

5. Michaël Angelus Bonarroti, picturae atque sculpturae unus omnium excellentissimus artifex; cuius artis insignis apud Florentinos operum thesauros exstant monumenta.

6. «Vincii» —vulgo, italice: «da Vinci»; summi Leonardo artificis nomini adicitur: qui miro versatilique ingenio in omnes cujusque generis disciplinas incubuit.

7. «Calandrini»: qui primam agit partem apud celebrem Boccacci fabulam de quaerendo lapillo «elitropia» appellato (e graeco fonte: «eliotropion»); vulgo, italice: «girasole» o «talismano».

II

«...TELLUS CONCUSSA MOVETUR»¹

(LUCR. — *De rer. nat.* VI, 667)

Imperium fecunda quies habuisse videtur
Hic, ubi non atrox, sed levis aura fremit;

Unquam ventorum nec jura fuere procellis
Aut rabies fuit aut flammea montis hiems:

Sicelides Musae manare poetica flava²
Mella videntur enim: gensque poesis amans;

Etsi pauper enim atque humilis, plerumque popellus
Deliciis fruitur luxurieque caret.

Cum subito caelum tenebrae sublime recondunt
Et nox atra premit; flumina paene silent:

Ast Hypsas vigil est. Hominum vi raptat inertes³
Artus, in stabulis somnus inersque pecus.

Quid vigilas, Hypsas? Tristes avertere luctus
Damnaque mortis aquae non valuere tuae!

1. In insula Sicilia, in ea quidem parte, quae inter meridiem spectat et solis occasum, terrificus calamitosusque terrae motus, de multa nocte, a.d. IV idus jan. ex improviso ac violenter domus, aedes, casas, omnia circum concussa dirupit ac diruit. Multi, in somno deprehensi, saxonum congerie sunt trabiumque strue sepulti, complures gravibus vulneribus fracti, plurimi aufu-
giunt quodlibet quaerentes.

2. «Sicelides Musae» = quibus verbis IV eclog. initium Vergilius facit.

3. «Hypsas», ados = flumen, vulgo Belice dictum, quod inter vicos aliaque loca, quae multa milia civium incolebant, lene ac limpide fluit. Inter maxime diruta loca: Montevago, Santa Ninfa, Gibellina, Salaparuta, Poggioreale, Santa Margherita Belice, ut vulgo italice nuncupantur.

**Tellus jam jam dissiluit, gremiique furoris
Ecquis enim vires insidiasque vetet?**

**Fulmineus fragor, horrisonus raucusque per auras:
Hic, moles reboant, hic crepitantque trabes;**

**Hic, ager, heu, cives quam multos hausit hiatu,
Quos jubar, occiduo sole, nec usque juvat!**

**Praecipites fugiunt turmae; passimque sepultos,
Vivos forsan adhuc, quanta ruina tegit!**

**Hic, fervens, rupto quasi jam non aggere clausum,
Quam vehementer humum flumen inundat aquis!**

**Omnia concutiens huc illuc terra dolosa,
Si quis tardet adhuc, saepe minatur ei,**

**Prorsus donec erunt et rura domusque relicta;
Turris identidem enim fragmina lapsa ruunt;**

**Aedium et ipsa secant terrae fastigia motus;
Ruricolae jacet et stramine tecta casa!**

**Hic, ubi tanta domi pueris memoranda fuere,
Nunc tantum trabium tollitur alta strues,**

**Quas lectum nil est unquam ausa redire retrorsum,
Lux, calor ut fiat, plurima turba pavens.**

**Nonne sed et calor et lux subsidiive levamen,
Si modo quis careat, semper ubique datur?**

**At si jam miseris neque matres reddere natis,
Fratribus aut fratres, Terra noverca, potes;**

**Saltem, agedum, domus aut reddantur, sacra labori,
Arva viris, quibus est certa fides in ope!**

III

MARIS SUBSULTANT IMA *

Hic, ubi jam felix Campania, tecta smaragdo,
 Aeris et maris atque soli spirabat odore¹,
 Urbs inter puteos ardentes, unde Phlegraei²
 Quos dicunt Campi, jacet; hinc et sulphure fumat.
 Prisca Pelasga fuit: Samii fecere coloni;
 Ex puteis ipsi nomen; statioque carinis³
 Emporiumque frequens per totum innotuit orbem.
 Saepius hic nervos animosque per otia pacis,
 Illae caesareae turmae laxare solebant;
 Crimen et ipse Nero meditans de matre necanda
 Arcanas has usque sinus devertit ad oras⁴.
 Morbos nunc etiam fervor depellit aquarum,
 Aegrotis solet hic caenumque palustre mederi.
 Hic tamen, hei mihi, terra recens subsultat ab imis!
 Non secus atque jacens aeger torpensque veterno,
 Se demum e strato adsidua vice crure levatur...
 Collis lectus enim paulatim extollitur imus,
 Impatiens lecti quasi quo permansit in annos.
 Hinc humus, hinc ager e tremitu en alicunde dehiscunt:
 Ruptos jam videas passim telluris hiatus.
 Illa quies, veteres qua nil praestantius usquam

* Prioribus hujus anni mensibus, «Acta diurna» nuntiaverunt Puteolos urbem, in Campania, ab imis subsultare et e solo sensim extolli.

1. Nunc temporis, contra, ubique aedificia calce durata extolluntur.

2. E graeco fonte: vulgo, italice = ardenti.

3. «Ex puteis... nomen» = Puteoli.

4. Cfr. TACITI — Ann. XV, 3: «Nero multo Puteolos et Misenum maris usu laetabatur».

Tot laetosque dies olim fecere Quirites,
Heu, cecidit! Brevis una satis nunc abstulit hora!
Invadit metus in cunctos; arcere periculum
Est labor, una salus fuga; nec tamen ulla querelast
Aut gemitus audire potes lacrimisve micare
Inde videre genas; adeo non impulit ignis
Aut lapis erumpens vehemens e monte Vesuvio:
Tam multis adeo nil unquam civibus urbem
Exhaurire vides, propius dum tecta fatiscunt.
Jam non lascivum pecus herbas rore madentes
Appetit exsultans, fontes ipsosque recusat.
Nullius aspicias remos aut vela phaseli,
Non cava cymba secat piscatrix aequoris undas;
Semineces pisces, heu, litus ad usque vagantur,
Jam commune lucrum, quos coxit fervor aquarum!
O miserum genus, unde adeo natura noverca?
Huic num cui similis sors unquam contigit ulla?
Quo ruitis profugi? Pedibus date frena: redibit
Sueta quies; caelos rursum invenietis amicos!

IV

«AETNAE FLAMMEA TEMPESTAS»¹(LUCR. — *De rer. nat.* VI, 642)

Igneus, immanis coluber, fluitante coorto
Magmate inaccessis vasti Cyclopis ab antris²,
Praecipitat violens, aut reptat lene per arva,
Quae, torrens factus, mox flumen, inundat arata.
Horrendum visu! Rubra per declivia saxa
Volvuntur, nec humi nec detinet aggeris objex.
Ignis purpureum jubar altas percutit auras:
Tam flagrans atras per fauces efflat ab Aetna
Flamma foras! Monstri quasi primas arripit acri
Parvas ungue casas: crepitant in mille favillis
En calami atque trabes, fumi tolluntque volumen;
Est aer circum crassa caligine opacus.
Magna, futura silex, silvas en circumit ardens:
En abies, quercus, populus, nuperque virentes
Ulmi, castaneae, fato torquentur acerbo.
Nonne, putas, haec alteri erant jam consita saeclo?!

Vulcano tamen hanc fecit natura ruinam!
Anceps unus et alter idem subiere periculum;

1. Aetnaeus vulcanus, cuius mentio est usque ab antiquissima aetate apud graecos latinosque rerum scriptores ac poetas saepius facta, vastas atque uberrimas insulae Siciliae plagas duobus mensibus (aprili-junio) vastavit, a. MCMLXXI.

2. —«magmate»: e fonte graeco = materiae mixtura ob terrestrem calorem incensae ac fusae.

—«Cyclopis» = Cyclopes, Vulcani ministri, sub Aetna monte, Jovi fulmina fabricabant.

Alfius iste fuit vicus, Fornatius ille³:
 Ignea materies (mirum!) liquefacta pepercit.
 Nunquam res salvas fieri sperare precando
 Plebs misera, at fidei testis, desivit inermis:
 Sic Deus omnipotens, miserans, exaudit egentes.
 Non ita tot fratres, ab eodem sanguine nati!
 Nuntium ubi primum venit ignivomo ore Gigantis⁴
 Jam lapides jaci enim, cineris nimbos et arenae
 Densos ejectos atrosque per aera volvi,
 Faucibus inde foras per clivos igne rubescens
 Crassum materiae preeceps decurrere flumen,
 Haud secus atque oculis nova ludibria advenae adepti
 Undique conveniunt hilares spectacula visum.
 Indignum vero facinus dicamque nefandum?
 Hic, mensas faciunt scopulos dapibusque recumbunt,
 Inter odoratos hortos foliisque recisis
 Considunt; hic, machinulis simulacra locorum
 Imprimere et memores cupiunt auferre figuras.
 Praesto non est hic quisquam, bona verba locutus,
 Aut lacrimas dare, si videoas, aut ferre juvamen!
 Nil irata tamen gens detestatur egena:
 Non lacrimata tacet tanto discrimine rerum!

Prof. JANUARIUS MARINELLI
 Via Salvator Rosa, 241
 NEAPOLI (in Italia)

3. «Alfius... Fornatius» = viculi in aetnaeis declivibus jacentes.

4. —«Gigantis» = Aetnaei montis: sic pro ingenti mole nuncupati.

HORATIUS VERBORUM PRAESTANTIAM, PRAESERTIM EX COLLOCATIONE, PERPETUO IN CARMINE ASSEQUITUR*

Horatius in iis recensetur scriptoribus qui 'classici' apud omnes habentur. *Classicus* vero vir, in litteris, is est qui opus mente conceptum ad absolutam omnium partium perfectionem deducit, qui rerum et personarum plenam integritatem respicit et exquirit semper, qui perfectionis studio peruritur cum intimam et universam argumenti materiam componit et cum minima —in vocibus scite distribuendis aut in eorum suavi et grato auribus sono deducendo— curat.

Et ideo scriptor classicus, in primis poëta lyricus, ad unitatem omnia subsidia reducit quae ei praesto sunt: intimus animi sensus, rei plena visio seu intuitio ejusque in opere significatio, argumentum ratione evolvendum, structio syntactica, vocabulorum significatio eorumque virtus alias res commemorandi —seu evocandi—, apta verborum, sonorum, accentuum, pausarum in oratione distributio.

Mens igitur poëtae est quasi forma et officina in qua singula orationis vel carminis partes exsurgunt, crescunt, amplificantur, perpoliuntur. Praecedunt et eminent in iis *sensus poëticus* et *intuitio* —quibus res non ad naturam exiguntur et exprimuntur—, sed poëta —ex iis quae vidit, percepit, secum commentatus est— intimam propriamque rerum visionem expromit: is enim semper novo quodam et intimo sui ipsius sensu res intingit. Ideo hunc reconditum sensum vita donare quodam modo conatur et in res ipsas deducere videtur. Intimus autem poëtae sensus et intuitio est quasi vocis am-

* Anno 1971, a die octavo ad undecimum m. octobris Romae et Mandelae IV Congressus Horationus coactus est.

In Academia Dacoromana oratio aditialis habita est: qua Prof. Nicolaus Barbu perdocte *De Horatii animi lyra* adstantes allocutus est. In aliis amplissimis viris praesentes aderant Professores Alexander Balaci, Petrus Romanelli, Franciscus Gligora, Joannes Pullara, qui Congressus Horatiani munere ab actis fungebatur, estque horum conventuum actuosus auctor et impulsor.

Diebus 9, 10, 11 socii Congressus Mandelam se contulerunt: ubi hae primariae habitae sunt dissertationes:

Prof. Aloisius Alfonsi: *De Maucellio, posteriore Horatiano*;

Prof. Hector Paratore: *De poësi Horatii adolescentis; qua ratione a poësi Horatii, firmata jam aetate, discernatur*;

Prof. Henricus Bardon: *De carmine ad Leuconoen*;

Prof. Petrus Ferrarino: *Angor an aequa mens?*

Prof. Remus Giomini: *Carmen in Mercurium diligenti studio expendit*.

Fuerunt et alii praeclari viri qui de Horatio poëta dixerunt; in his autem Jos. M.* Mir hanc, quam describimus, recitavit commentationem.

plificatorium —sit *venia novo verbo*: quo *omnia mentis et litterarum subsidia conjunguntur, disponuntur, exprimuntur*: singula igitur scienter ad materiam argumenti configurandam —ex normis carminis ad artem exactis— seliguntur: nihil prorsus adjungitur tantum, nihil omnino ad ornamentum solum modo pertinet.

Classicus igitur scriptor aequilibitate, moderatione, mensura, perfectione imbutus est, easque virtutes in scripta —vel ipse fortasse inscius— inducit. Ac dum illam mentis formam intuetur, qua omnia ad unitatem redigit, universam argumenti materiam perquirit, digerit, perpolit: imagines excitat, metaphoras aliasque verborum translationes evocat, singulares syntaxis et stilisticae formas inducit omnesque versus subtilitates in caesura, in rhythmo, in antithesi aliisque ornandi et exprimendi sensa subsidiis magnopere elaborat.

Verborum autem —seu vocabulorum— est extrema materia quae in carmine pangendo fingenda est: quam poëta exquisite seligit ac digerit; et, dum suo collocat ordine, conspicuam ei tribuat praesertim¹.

In quam plurimis argumentis quae de Horatio disputata sunt, hoc nobis evolvendum sumimus: *Horatius verborum praestantiam, praesertim ex collocatione, perpetuo in carmine assequitur*.

Propositorum fuit ut, quae maxime conspicua in primo *carminum* libro sunt, exponerem et aliquantum explicarem: sed dum huic labori manus admoveo, materiam excrescere animadverto: quam recidere opus fuit; quae tamen profero sufficere videntur ut Horatium magistrum in verbis seligendis, adhibendis, collocandis habeamus: haec est enim provincia in qua regnat et dominatur; alia scribendi et carmina condendi subsidia haud multum usurpat, sed maximam vim significantiae verborum tribuit. Nam cum ipse poëta lyricus sit, animi sensus et motus perpetuo in oratione expromit: ratio vero qua haec animi permotio in carmine ostendatur, in aliis, est *verborum collocatio*, qua et eorum vis significans magnopere augetur.

Ars el labor artificis in eo est ut lapillos musivi scite figuret, apte distribuat suoque collocet loco: Horatius quoque summus poëta exquisitissima sua arte lumina amittere videtur in omnes orationis et carminis partes easque maximo significantiae pondere ex verborum ordine locupletat. Quod poëtam legentes commode percipiems.

Aliqua tantum de collocatione verbi, substantivi, adjectivi atque de *inequitatione* (*enjambement*) dicemus breviter: ex quibus colligimus Horatium in verbis artificiose componendis in carmine summum magistrum fuisse.

1. Cfr. Amado ALONSO, *Materia y forma en poesía*³, Madrid, Gredos, 1965, praesertim in capitibus: *Clásicos, románticos, surrealistas*, pp. 19-28, et *El ideal clásico de la forma poética* (29-50); quae hic de scriptore classico referimus contractio est eorum quae ibidem cl. vir ampliore tractatione perserquitur.

I. — DE VERBO

1. Verbum —quod est praecipuum orationis adminiculum— praestat *initio orationis aut versus*: ex vi grammatica, ex vi syntactica, ex sensu particulari verbi, ex vi speciali in universa sententia —interdum quia orationi *inequitatio* inest—².

<i>Urgent impavidi</i>	1,15,23	<i>Premant falce</i>	1,31,9
<i>terruit gentes</i>	1,2,5	/ <i>jactes et genus</i>	1,14,13
<i>Vidimus fl. Tiberim</i>	1,2,13	/ <i>vites aequora</i>	1,14,20
<i>Audiet cives</i>	1,2,13	/ <i>pectes caesariem</i>	1,15,14
<i>audiet pugnas</i>	1,2,23	/ <i>mordet aqua</i>	1,31,8
<i>Solvitur acris hiemps</i>	1,4,1	/ <i>perrupit Acheronta</i>	1,3,36
<i>Laudabunt alii</i>	1,7,1	<i>de die / spernit</i>	1,1,21

2. Interdum verbum eminet *in fine primi hemistichii*, in caesura:

<i>quam multo repetet"</i>	1,15,6	<i>laetus intersis"</i>	1,2,46
<i>quanta moves"</i>	1,15,10	<i>antemnaeque gemant"</i>	1,14,6
<i>numquam dimoveas"</i>	1,1,13	<i>Pastor cum traheret"</i>	1,15,1
<i>sublimi feriam"</i>	1,1,36	<i>O navis, referent"</i>	1,14,1

3. Praestat ex gravi sensu ipsius verbi *in fine orationis aut versus* —non numquam quia inest inequitatio—:

<i>pulvere collines</i>	1,15,20	<i>ocior aura / tollat</i>	1,2,49
<i>ludibrium, cave.</i>	1,14,16	<i>fortuna parente / ibimus</i>	1,7,26
<i>quoque / nosces</i>	1,15,27	<i>pupibus / fidit.</i>	1,14,15
<i>matribus detestata</i>	1,1,25	<i>fortiter / occupa.</i>	1,14,2

2. Quae hic tradimus ex ipsis Horatii carminibus inferuntur; normae tamen stilisticae in doctrinae summan coëgit cl. vir J. Marouzeau tribus voluminibus: *L'ordre des mots dans la phrase latine*: t. I: *Les groupes nominaux*, Paris, Champion, 1922; t. II: *Le verbe*, ibid. 1935; t. III: *Les articulations de l'énoncé*, Paris, Les Belles Lettres, 1949; quae postea uno volumine contracta sunt: *L'ordre des mots en latin*, Paris, Les B. Lettres, 1953. — Cfr. etiam LEUMANN-HOFFMANN-SZANTYR, *Lateinische Grammatik: Syntax und Stilistik*, C. H. Beck, München, pp. 394-410.

— Itaque praecipuae normae ex J. Marouzeau sumuntur, quarum summam in commentariolo *De verborum ordine in oratione latina collegimus*, cfr. MIR, *Latinitas*, (I): 18 (1970) 32-50; (II): 18 (1970) 101-119.

4. Verbum interdum eminet *in media oratione ex gravi ipsius verbi sensu*: a) post caesuram, b) *in fine versus* —saepe ex inequitatione—:

a) "obruit otio	1,15,3	b) pavidae natarunt /	
"uret Achaicus	1,15,35	... damnae	1,2,11
de Libycis" verritur areis	1,1,10	fatigent / virgines	1,2,26
tuas" rumpere nuptias	1,15,7	deus adscidit / prudens	1,3,21
		carmina divides /	1,15,15

— Recondita tamen ratio, qua in superioribus exemplis ac similibus verbum praestat, est quia saepius a *proprio loco* —id est ab extrema oratione— abest.

II. — DE SUBSTANTIVO

5. In carmine Horatiano substantivum praestat *initio orationis* vel *initio versus*, quia:

- a) est nomen praecipuum,
- b) in orationis contextu a suo loco sejungitur —saepe in sententia inequitatio inest—.

a) Maecenas atavis	1,1,1	b) Adulteros / crines	1,15,20
O navis	1,14,1	Achaicus / ignis	1,15,36
navis, quae tibi	1,3,5	Apollinem / vates?	1,31,2
Pastor cum traheret	1,15,1	non opimae / Sardiniae	1,31,5
Te Salaminius / Teucer	1,15,24	grata Calabriae / armenta	1,31,6
reperire atrox / Tydides	1,15,28	dedit / fortuna	1,31,10
findere sarculo / agros	1,1,20	aureis / mercator	1,31,11
expiandi / Juppiter?	1,2,30	otio / ventos	1,15,4
/ terras, si tamen	1,3,23	viris / sudor	1,15,10
Corinthi / moenia	1,7,3,	Dardanae / genti	1,15,11
	1,7,20	graves / hastas	1,15,17
	1,7,21	celerem sequi / Ajacem	1,15,19
novi / fluctus	1,14,2		
occupa / portum	1,14,3		
imperiosius / aequor	1,14,9		

6. Substantivum *in fine orationis aut versus* eminet, quia

- a) aut est nomen praecipuum,
- b) aut separatur a loco orationis proprio et praesertim a suo ad-

—jectivo (aut genetivo) —saepe adjectivum inchoat versum eumque claudit substantivum, aut adjectivum est in superiore versu et substantivum in fine subsequentis—,

aut c) substantivum alii nomini opponitur:

a) terruit <i>urbem</i>	1,2,4	Thessala <i>Tempe</i>	1,7,4
carmina <i>Vestam?</i>	1,2,28	Palladis <i>urbem</i>	1,7,5
augur <i>Apollo</i>	1,2,32	promisit <i>Apollo</i>	1,7,28
Caesaris <i>ultor</i>	1,2,44	pellite <i>curas</i>	1,7,31
te duce, <i>Caesar</i>	1,2,52	iterabimus <i>sequor</i>	1,7,32
regat <i>pater</i>	1,3,3	Pontica <i>pinus</i>	1,14,11
scopulos <i>Acroceraunia</i>	1,3,20	avi <i>domum</i>	1,15,5
tarda <i>necessitas</i>	1,3,32	adest <i>viris</i>	1,15,9
Herculeus <i>labor</i>	1,3,36	proferet <i>Ilio</i>	1,15,33
ponere <i>fulmina</i>	1,3,40		

Horatius —ut ex his infertur exemplis— magnopere delectatur in eo quod versus, strophe, carmen illustri aliquo nomine finiat, quod menti acriter inhaereat: haec in Horatii elegantiis recensenda est.

b) 'Myrtoum' pavidus nauta secet <i>mare</i>	1,1,14
Me 'doctarum' hederae praemia <i>frontium</i>	1,1,29
'Lesboum' refugit tendere <i>barbiton</i>	1,1,34
'sublimi' feriam sidera <i>vertice</i>	1,1,36
'pavidae' natarunt / aequore <i>damnae</i>	1,2,12
non 'tangenda' rates transiliunt <i>vada</i>	1,3,24
'nova' febrium / terris incubuit <i>cohors</i>	1,3,31
'iracunda' Jovem ponere <i>fulmina</i>	1,3,40
'graves Cyclopum' / Volcanus ardens urit <i>officinas</i>	1,4,8
undique 'decerptam' fronti praeponere <i>olivam</i>	1,7,7
Nuper 'sollicitum' quae mihi <i>taedium</i>	1,14,17
'nitentes' / vites aequora <i>Cycladas</i>	1,14,20
'ingrato' celeres obruit <i>otio</i>	1,15,3
quam 'multo' repetet Graecia <i>milite</i>	1,15,6
'sublimi' fugies mollis <i>anhelitu</i>	1,15,31
'Nympharumque leves' cum Satyris <i>chori</i>	1,1,31
'ventorumque' regat <i>pater</i>	1,3,3
nec prata 'canis' albicant <i>pruinis</i>	1,4,4
conjurata 'tuas' rumpere <i>nuptias</i>	1,15,7
me pascunt <i>olivae</i>	1,31,15
c) <i>stabulis</i> gaudet pecus / arator <i>igni</i>	1,4,3
pauperum <i>tabernas</i> regumque <i>turres</i>	1,4,14

7. Substantivum praestantia ornatur *in fine primi hemistichii*, in caesura —praecipua tamen ratio praestantiae ex ordine verborum in primis sumitur—:

<i>secernunt populo"</i>	1,1,32	<i>neququam Veneris"</i>	1,15,13
<i>saeculum Pyrrhae"</i>	1,2,6	<i>pectes caesariem"</i>	1,15,15
<i>omne cum Protheus"</i>	1,2,7	<i>imbelli cithara"</i>	1,15,15
<i>jactat ultorem"</i>	1,2,18	<i>iracunda diem"</i>	1,15,33
<i>mollis, Plance, mero"</i>	1,7,19	<i>post certas hiemes"</i>	1,15,35
<i>nunc desiderium"</i>	1,14,18		
<i>eheu quantus equis"</i>	1,15,9		

III. DE ADJECTIVO ET SUBSTANTIVO

8. Adjectiva alia sunt *determinativa* seu 'discretiva': quibus qualitas exprimitur propria, ad naturam rei pertinens vimque habet extra mentem nostram: et ideo res vel personas in genera distinguit vel determinat:

Adjectivum determinativum *sequitur substantivum* (a); ratione tamen stilistica saepe praecedit (b):

a) <i>ebur Indicum</i>	1,31,6	b) <i>lyricis vatibus</i>	1,1,35
<i>aequor Atlanticum</i>	1,31,14	<i>Icaris fluctibus</i>	1,1,15
<i>pulverem Olympicum</i>	1,1,3	<i>Attalicis condicionibus</i>	1,1,12
		<i>intactae Palladis</i>	1,7,5

9. Adjectivum vero *qualificativum* substantivo qualitatem addit; aliquando ejus naturam exprimit —*fere praecedit*—:

<i>pavidus nauta</i>	1,1,14	<i>pallida mors</i>	1,4,13
<i>flavum Tiberim</i>	1,2,13	<i>imbelli cithara</i>	1,15,15
<i>graves Persae</i>	1,2,22	<i>taciturnus amnis</i>	1,31,9
<i>rara juventus</i>	1,2,24	<i>levesque malvae</i>	1,31,19
<i>tarda necessitas</i>	1,3,32	<i>turpem senectam</i>	1,31,19
<i>acris hiemps</i>	1,4,1	<i>palmaque nobilis</i>	1,1,5
<i>grata vice</i>	1,4,1		

IV. DISJUNCTIO ADJECTIVI A SUO SUBSTANTIVO

10. Haberi potest simplex insertio *unius* vocis, quae saepe est verbum:

<i>veteris</i> " pocula 'Massici'	1,1,19
<i>solido</i> " demere de 'die'	1,1,20
per <i>nostrum</i> patimur 'scelus'	1,3,39
Maecenas <i>atavis</i> " edite 'regibus'	1,1,1
<i>sacras</i> " jaculatus 'arces'	1,2,4
<i>mutata</i> " juvenem 'figura'	1,2,41
<i>mala</i> ducis 'avi' domum	1,15,5

11. *Adjectivum est initio versus et substantivum in fine:*

<i>Lesboum</i> refugit tendere 'barbiton'	1,1,34
<i>sublimi</i> feriam sidera 'vertice'	1,1,36
in <i>umbrosis</i> decet immolare 'lucis'	1,4,11
quam <i>multo</i> repetet Graecia 'milite'	1,15,6

12. Inest duplex insertio hac ratione:

- | | | | | |
|----|---|---------------------------|--------------------------------------|---|
| a) | 1 substantivum
et <i>malus</i> | 2 adjективум
CELERİ | 1 adjективум
'saucius' | 2 substantivum
AFRICO 1,14,5 |
| b) | 1 substantivum
<i>venator</i> | 2 adjективум
TENERAE | 2 substantivum
CONJUGIS | 1 adjективум
'immemor' 1,1,26 |
| c) | 1 adjективум
seu <i>rupit</i> 'teretes | 2 adjективум
MARSUS | 2 substantivum
APER | 1 substantivum
<i>plagas</i> 1,1,28 |
| | nunc <i>debet</i> aut 'viridi' | NITIDUM | CAPUT | <i>myrto</i> 1,4,9 |
| | 'luctantem' | ICARIIS | FLUCTIBUS | <i>Africum</i> 1,1,15 |
| | 'Myrtoum' | PAVIDUS | NAUTA secet | <i>mare</i> 1,1,14 |
| d) | 1 adjективум
'ambiguam' | 2 substantivum
TELLURE | 2 adjективум
NOVA | 1 substantivum
<i>Salamina futuram</i>
1,7,29 |
| e) | 1 adjективум
'ingrato' | 2 adjективум
CELERES | 1 substantivum
obruit <i>otio</i> | 2 substantivum
VENTOS 1,15,34 |

Qua scribendi ratione omnes orationis seu versus partes magnopere illustrantur; sed qualitas —quae epitheto inest et a substantivo separatur— singulari prorsus ornatur praestantia.

V. DE INEQUITATIONE

Inequitatio —quae vulgo a viris doctis in stilistica versatis *enjambement* vocatur— maximi momenti est in enucleanda poësi latina: nam poëtae eam adhibentes, conspicuam vocibus tribuunt vim³.

3. *Equitationis* seu *inequitationis* notio in versibus plane apteque ab scriptoribus nondum enodata est. Eam in optimis subsidiis poëtae recensent W. Kayser, W. F. Jackson Knight, F. Rodríguez Adrados, quin tamen rem fusius evolant.

Praestantissimi scriptores Francogalli Marouzeau (cfr. *Traité de stylistique latine*⁴, Paris (Les Belles Lettres) 1960, p. 306 sqq.; *Précis de stylistique française*, Paris (Masson) 1969, pp. 168-169) et Grammont (*Petit traité de versifications française*, Paris (Colin) 1965, p. 24) *equitationem* ponunt in ea sententia quae initium habet in priore versu et —quin sensus ibi absolvatur— in altero versu completur: hoc autem sententiae complementum «*rejectio*» (*rejet*) dicitur ita Grammont, pp. 24-25).

Notio autem *inequitationis* et *rejectionis* saepe ab his aliisque scriptoribus parum discernitur, ac sine discriminē fere usurpatur.

In explicanda *inequitatione* pedetemptim progressus fiunt in lexicis (cfr. J. MAROUZAU, *Lexique de la terminologie linguistique*, Paris 1933, s.v. p. 75; J. B. HOFMANN-RUBENBAUER, *Wörterbuch der grammatischen und metrischen Terminologie*², Heidelberg 1963, p. 34; Ae. SPRINGHETTI, *Lexicon linguisticae et philologiae*, Romae 1962, s. v. *accavalciamento*; F. LÁZARO CARRETER, *Diccionario de términos filológicos*, Madrid 1967, s. v.; *Grand LAROUSSE encyclopédique*, 1961, t. 4, s. v. *enjambement*).

Rem tamen peracute tractavit Damasus Alonso (*Poesía española*⁵, Madrid 1966, p. 68, n. 8) qui eam perspicue definit; ac presertim R. De Balbín luculente ad strictam disciplinae normam *inequitationem*, genera eorumque aptam interpretationem explicat (cfr. *Sistema de ritmica castellana*², Madrid (Gredos) 1968, pp. 202-218). Hi scriptores hispani de *abrupta* et *tenui* loquuntur *inequitatione*; *rejectionem* vero non admittunt cum haec in ipsam equitatione *tenui* contineatur.

Quae nos exponimus cum his scriptoribus conveniunt.

Speramus fore ut aliquando nobis vacet quo totam rem altius ac fusius enucleare possimus.

Ceterum, non plane constat adhuc inter scriptores qua ratione vox *enjambement* latine reddi oporteat. *Rejectionem* adhibui in *Laocoontis embolio* seu episodio (cfr. *Latinitas*, 17(1969)109, n. 6), scriptorum auctoritate innixus qui parum distinguunt *rejet* et *enjambement* (cfr. MAROUZEAU, *Traité de stylistique lat.*⁴, pp. 306-312, et *Quelques aspects de la formation du latin littéraire*, Paris (Klincksieck) 1949: *Quelques éléments de poésie: l'art horatien*, pp. 213-217: ubi promiscue haec verba usurpat). Deinde, cum hoc exaravi commentariolum illudque in Conventu Horatiano s. 1971 Mandelae coacto, legi, *concatenationem* adhibui: id non ignorans vocem esse incertam cum veteres rhetores hac voce aliam figuram significaverint. Tunc vero *inequitationem* proferre et accommodare minime sum, quamquam de voce cogitaverim.

Cum autem nuper admonitus sim in verbis *concatenare* et *concatenatio* inesse etiam primarii sensus translationem novamque iterum significationem

Inequitatio autem ea est sententiae conformatio quae, unitatem metricam versus excedens, in versum sequentem redundat, *inequitat*; nam voces quae una continentur sententia excedunt unitatem versus, et ideo inter moram seu pausam metricam et syntacticam oritur *discrepancia*.

En exemplum:

*alterno terram quatunt pede, dum graves Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas* (HORAT., 1,4,7-8).

Haec autem *discrepancia* quodam modo metricae versus unitati adversatur atque animum audientis vel legentis vehementer movet, cum singularis conferatur vis vocibus quae syntactice penitus conjugandae erant (*graves - officinas*): ex *inequitatione* ergo conjunguntur itemque *inequitare* videntur.

Praecipuae partes quae in oratione *inequitare* possunt sunt substantivum, adjективum, verbum, adverbium; at conspicua inest *praestantia inequitationi* adjективi et substantivi ex intimo vinculo syntactico et logico quae inter ea intercedit: cum qualitas —quae adjективo inest— cum re aut persona penitus semper conjugantur, et ideo eorum dissociatio animum commovet.

Significantia vero hujus subsidii stilistici in eo constat quod primo elemento (*graves*) —in quo *inequitatio* inititur et initium habet— intentionis *praestantia* confertur; alteri vero elemento (*officinas*) *gravitas toni* tribuitur. — Etenim, cum intima insit colligatio semantica inter adjективum et substantivum uno eoque pleno accentu enuntiantur: vis autem praecipua toni in alterum recidit. Attamen ex metrica versus pauca —cum *inequitatio* inducitur— illud vinculum seu unitas rescinditur, atque primae voci propria sui ipsius *toni facultas* confertur: ex quo magnopere augetur pondus vocis quae primum enuntiatur et quae sub fine versus saepe remanet (*graves*); sed *tonus* quoque intenditur seu amplificatur in altera voce dissociata (*officinas*); eo quod pauca superioris versus, vehementiore vi aucta, in eam vocem convertatur. Ex quo utraque vox recondita significantia *praestat*, et ex earum dissociatione, quid senserit poëta atque quid nobis patefecere voluerit, ostenditur.

Horatius animo saepe motus et unam significare volens vocem, a

addere non expedire —quia hac voce illa jam exprimitur figura rhetorica—, rem et voces iterum mecum commentatus sum; et cum nulla gravis causa adesse videatur cur ab inducenda translatione (*inequitandi*) recedamus —quam in voce hispana et italica (*encabalgamiento — accavalciamento*) et quodam modo in gallica (*enjambement*) invenimus, eandem translationem in linguam lati-
nam inferre posse arbitratus sum.


suo loco disjungit et in alterum versum reicit: vel quia singularem exprimere vult animi motum, qui voci disjunctae inest, vel quia versus et rhythmi aequabilitatem et successionem abrumpere aut minuere nititur. Ita ex his duabus animi propensionibus cum rhythmo tum libertati et significantiae vim tribuit.

Cum de re agatur maximi momenit in poësi latina, inspiciamus quo modo Horatius hoc subsidio stilistico utatur.

<i>Nequiquam deus abscidit</i>	HORAT. 1,3,21
<i>prudens oceano dissociabili</i>	22
<i>terras, si tamen impiae</i>	23
<i>non tangenda rates" transiliunt vada.</i>	24

22 *prudens*: se jungitur a suo substantivo (*deus*) —in quo incipit iniquitatio— et in sequentis versus initium reicitur; *prudens* ex ipso vocis sensu praestat: nam Deus summa providentia [*prou(i)dentia*] abscidit terras—, et ex loco: nam cum complementum *terras* expectabamus, poëta nobis initio versus sequentis *prudens* obicit; ac simili ratione *terras* in tertii versus initium reicit: quae vox in fine primae partis sententiae eminet, cum verbo *abscidit* prorsus conjungitur et usque ad hanc vocem (*terras*) profluit inequitatio. Significantia vero augetur ex adjetivo *dissociabili*, quod ex sensu —qui dissociat, qui separat, cuius est dissociare—, et ex numero syllabarum et in fine versus —post pausam metricam— id suo vocis volumine exprimit quod ipsa voce significat.

Consequitur alia inequitatio: in eaque inseritur duplex disjunctio adjactivi (vel participii) a suo substantivo; *impiae*: in fine versus, cui conjungenda erat vox *rates*; sed pro hac sequitur *tangenda*; inseritur nunc *rates* —vox ab *impiae* dissociata et in caesura—; verbum (*transiliunt*) in media constat oratione, ut in medio orationis arcu; et *vada* —vox conjungenda cum *tangenda*— versum claudit:



Mens poëtae (in versibus 21-22) usu litterae *q q, c c c* roboratur: quae dum iteratur, quasi in memoriam reducit voluntatem seu de-

cretum Dei *prudentis*; copia autem litterae *i* in extremis versuum verbis (*abscidit* (v. 21), *dissociabili* (v. 22), *impiae* (v. 23), *transiliunt* (v. 24) rem lugendam ac plane inutilem esse confirmat. Haec autem altius significari videntur ex versibus 23-24, in quibus litterae *m*, *n* sed in primis *t* saepius repetuntur suoque ictu voluntas dei penitus comprobatur.

VI. Carmen O NAVIS

Carmen Horatianum *O navis* breviter expendamus: in quo exempla inveniemus *inequitationis* atque insertionis simplicis et duplicitis; alia, quae haec subsidia stilistica magnopere roborant, strictim quoque tangemus.

<i>O nauis, referent" in mare te noui fluctus. O quid agis?" fortiter occupa portum. Nonne uides ut nudum remigio latus et malus celeri" saucius Africo antemnaeque gemant", ac sine funibus uix durare carinae possint imperiosius aequor?</i>	1,14,1
	5
	9

1 *nauis*: tota ratio desiderii et curae poëtae!: praeponitur initio carminis et versus; syllaba *re* —ter repetita— memoriam repetit *navis* quae in mare altum, undarum motu, jam jam inducitur; ac littera *t* in primis versibus iterata huic notioni vim addit (referent *in mare te noui fluctus*)⁴.

Adjectivum *novi* in fine versus quid mirum praenuntiat, eoque inequitatio aperitur. Insequitur *fluctus*: quo substantivo numerus

4. Quae de repetitione, complexu litterarum aliisque exponuntur, ex disciplina stilistica maximum habent in poësi momentum. — *Symbolismus phoneticus vel sonorum, subsidia phonetica* ('recursos - ricorsi'), *dotes phoneticae* ('valores - valori'), *raciones phoneticae* ('procedimientos - procedimenti') nova sunt recentissimae aetatis vocabula, quibus scriptores utuntur cum de quibusdam sonis aut articulandi rationibus loquuntur, quibus motus aut impressio externa (visus, auditus...) exprimuntur vel symbolo quodam modo figurantur.

Haec subsidia maximi sunt ponderis ad intima poëtae sensa perfectius expromenda; nam haec partes sunt etiam cogitationis, animi motus, locutionum quibus tota mens et sententia poëtae constituitur et foris —ex verborum contextu— profertur: —De re conferantur; W. KAYSER, *Interpretación y aná-*

versūs consistit, abrumpitur: inequitatio ex punto maxime *abrupta* est. — Ante mare fluctibus conturbatum poëta maestus luget: commotum, ejus animum litterae *i* et *u* iteratae expromunt, atque consonantium complexus *fl*, *ct*, *rt*, *cc*, *rt* (vv. 1-3) et copia litterae *t* et *p* firmam significare videntur voluntatem quam poëta navi —id est rei publicae— inicere vult ut *fortiter* agat neque portum deserat.

2 *occupa*: in fine versus: quo verbo nova exorditur inequitatio; insequitur *portum*: quo sententia, abrupta inequitatione, clauditur.

Tertius versus conjunctione *ut* finitur: quod non in vitium poëtae verti potest, sed hac particula quadam animi suspensione nova praenuntiantur mala, quae navi imminent. Sequuntur conspicuae verborum trajectiones: *remigio nudum latus / et malus Saucius celeri Africo*: tres voces extremae hujus versus (5) —in singulis littera *c* inest— vehementiam Africi exprimere videntur iterum iterumque in malum flantis.

6 *antemnaeque gemant*: verbum ex sensu et loco orationis aptissimum: est in caesura; vocales *a* - *e* in primo hemistichio fere tantum adhibentur: de gravi agitur re. — *Gemant*: ad *latus nudum* et *ad malum saucium* et ad *antemnas* refertur; id ex orationis contextu expostulatur et praesertim ex intimo et lyrico sensu Horatii, in cuius mente haec non dissociantur —licet diversae navis partes constuant—, sed quasi uno mentis intuitu comprehenduntur unoque arguto verbo in oratione exprimuntur: etenim, «in navi —in re publica— pro dolor! *omnia gemunt!*»

Neque hic locus explanandus est —ut mihi quidem videtur— ita ut in primo membro intellegatur verbum *sit* (*vides ut nudum 'sit'* *remigio latus*), et deinde adhibeatur figura *zeugma*, ut explicat cl. v. Ussani⁵ (*Orazio, Odi ed Epodi*, Torino, Loescher, 1968, p. 102; cfr. etiam Terzaghi, *Le liriche di Orazio*⁶, Roma, Cremonese, 1968, p. 106), sed universa orationis structio ex *synaesthesia* potius explicanda est:

lisis de la obra literaria⁴, Madrid (Gredos) 1970: *La sonoridad*, pp. 135-140; DÁMASO ALONSO, *Poesía española*⁵, vide praesertim, pp. 79, 105-108, 326-332, 380-383...; F. RODRÍGUEZ ADRADOS, *Lingüística estructural*, v. II, pp. 656-661; V. GARCÍA DE DIEGO, *Lecciones de lingüística española*², Madrid 1960: *El simbolismo lingüístico*, pp. 63-87; J. MAROUZEAU, *Traité de stylistique latine*⁴, pp. 19-34, 43-44, 46-48, 96-108; Id., *Quelques aspects de la formation du latin littéraire*, pp. 193-222.

5. Clarissimus ille scriptor rei difficultatem dispexit ac notione *synaesthesia*, nostra aetate amplius evolutam, quodam modo praesensit: nom in adnotationibus haec habet: «*gemant*: 'cigolino'; se non che *vides ut...* *latus...* *et malus...* *antemnaeque gemant* dove si dorebbe avere *audis ut gemant*, così semplicemente, per troppo forte. E più probabile che *latus* sia soggetto di un sottinteso *sit*, sicchè sia detto al v. 4 con proprietà (*vides ut*) *nudum remigio latus* e il resto segua poi in forma di *zeugma*».

Nostram tamen sententiam —id est synaesthesia orationi inesse— infirmari forsitan aliqui dicant eo quod verbum *video* primigenium videndi sen-

qua, de sententia recentiorum scriptorum, ea quae visus (coloris), auditus, tactus —id est singulorum sensuum et affectionum— sunt propria, ad alium sensum transferuntur⁶. Hic enim poëta navim alloquitur quasi vices personae gerentem et ea quae ad visum pertinent (*nonne 'vides' ut...*) ad ea quae ad auditum (*gemant*: nam '*gemere*' ex auditu percipimus) transfert.

6 *sine funibus*: incipit alia inequitatio, quae in fine versus suspensa manet; sequitur verbum infinitum et subjectum (*durare carinae*), additur verbum finitum (*possint*); apponitur argutum et significantiae plenum epitheton —animadverte etiam quattuor *i* in hoc versu 8.^o—, quo in fine versus, infestus inimicus —quocum navis decertare debet— praenuntiatur: *imperiosius* (*aequor*): ac maxime *abrupta* inequitatione periodus finitur et interrogatio (*aequor?*).

aequor? Non tibi sunt" integra linta 9
non di, quos iterum" pressa uoces malo. 10

Quamvis Pontica pinus,
siluae filia nobilis,
iactes et genus et" nomen inutile;
nil pictis timidus nauita puppibus
fudit. Tu nisi uentis 15
debes ludibrium, caue.

9 *non tibi sunt*: in caesura; alia, quibus navis caret, aperte significantur; iterantur litterae *i* et *u* —in altera versus parte *i* bis est in arsi—: *integra / líntea*; in caesura versūs 9 et 10 sonus rumorque obscurus percipitur (*sunt - iterum*).

10 *iterum*: adverbii praestantia ex caesura augetur; in altero hemistichio vocales fortiores (*e - a - o*) et extremarum vocum collocatio rem ipsam —qua navis omnibus malis opprimitur— significari vindentur.

11-12 gravis et intimus poëtae dolor persentitur atque repetitione consonantium (*q,p,p*) et praesertim vocalis *i* comprobatur.

sum amiserit in coque imaginem visus saepe evanuerit atque in quamcumque sensus perceptionem vel intellectus transierit. Quod equidem non negabo: cum multis scriptorum exemplis comprobetur (cfr. lexica).

Attamen, nos synaesthesia in eo quidem minime ponimus quod navis reapse suis oculis videat *latus remigio nudum* et *malum celeri Africo saucium*: nam —cum vices personae gerat navis— haec videre poterat; sed in eo quod, orationem poëta prosequens, dicat navem etiam *videre...* ut *antemnae gemant*: quod si in prima parte (*latus et malum*) suis oculis videt, eadem ratione in altera *antemnas gemere* videat oportet. In hac autem verborum conjunctione et quasi sensus oppositione proprie notio *synesthesia* invenitur.

6. Conferantur de re F. RODRÍGUEZ ADRADOS, *Lingüística estructural*, Madrid, Gredos, 1969, v. II, pp. 649, 658; DÁMASO ALONSO, *Poesía Española*⁵, pp. 144, 605-608.

13-15 novae litterae *t* percussionses; alterum *et* (v. 13) in caesura: quod id quod sequitur, praestat; ac re vera *nomen* non est tantum 'vox', sed *rem ipsam*, res a se ipsa gestas et partas designat: quae —vel maxima sua gloria, historia...— inutilia prorsus dicuntur. *Inutile* in fine versus est adjективum non exspectatum, conspicuum ita ut, ex exemplis quae cl. v. V. Ussani (*Orazio*, pp. 102-103) commemorat et ex aliis quae apud Horatium sunt, non tantum id ut adverbium sumere possimus vel potius accusativum neutrum cum superioribus conexum, sed ab iis etiam separatum; quod aptius sensui lyrico poëtae convenit: *Quamvis Pontica pinus..., iactes et genus et nomen: inutile!* — Ceterum, *genus et nomen* —mea quidem sententia— hendiadim minime constituunt (ut cl. viri Ussani et Terzaghi —cfr. loci mem.— aliique volunt); quia de rebus agitur *diversis* et ideo poëta *singulis* vocibus *et* praeponit, atque altero *et*, quod est in caesura, de *alia* re gravi agi quodam modo admonemur.

14 complexus litterarum (*ct, pp*), repetitio consonantium *t* et *p*, et vocalis *i* (quae inest in singulis vocibus) et *u*, *timidus* ex caesura —adjectivum intima conjunctione cum *navita* conspicuum—, sequentio adjactivi *pictis* a suo substantivo (*puppibus*), obscura hemistichiorum consonantia (*timidus - puppibus*): haec omnia efficiunt versum maxime expolitum et in inequitationem abruptam versus sequentis inducunt: *fudit*.


15-16 *fudit*: inequatio: qua finiuntur in medio versu ea in quibus fiduciam navis collocare poterat: subvertitur tota ratio fiduciae quam navis in suis subsidiis habere potest... — Iterantur vocales *i* et *u* —animadverte: pronomen *tu* in media stat oratione undequaque littera *i* circumdatum—. Inest inequatio, et verbum *cave* in fine versus et sententiae maximi est ponderis: persentitur intima Horatii adhortatio; vox *ludibrium* et sensu et loco insignis est.

<i>Nuper sollicitum" quae mihi taedium nunc desiderium" curaque non leuis, interfusa nitentes uites aequora Cycladas.</i>	17
	20

17 Iterum vocales *i* et *u* intimum poëtae maerorem promunt; adjективum a substantivo disjungitur (*sollicitum... taedium*) et est in caesura; adest consonantis —*um*... —*um*: quae syllaba tamquam soni reperiuntur in fine hemistichii versus sequentis iterum percipiuntur (*desiderium*).

19-20 Mens poëtae quodam modo perturbatione contrahi videtur; ejus oratio implicata et obscura appareat, verborum nexus difficilis et contortus: praecedunt duo adjactiva (participium praeteritum et praesens: *interfusa - nitentes*); sequitur verbum (*vites*) et subsequuntur duo substantiva (*aequora - Cycladas*): oratio complexa ut res quae

memorantur...: 'o navis, vites oportet aequora (maria) fusa (quae defluunt) inter Cycladas quae marmoris splendore nitent'. — Quae omnia confirmari videntur iterato litterae *t* (et *u*) ictu atque nova soni repercussionem —*tes* / —*tes* (*nitentes* — *vites*), ac praesertim hoc verbo *vites* quod in equitationem inducitur et in medio arcu duorum adjectivorum et substantivorum erigitur:



Adnotatio de climate. — Versu 15 id est cum verbo *fudit*) finitum enumeratio rerum et personarum in quibus navis fiduciam collocauerat; dum haec recensentur colloquium cum navi poëta inserere cupit: ipse tamen in oratione solus manet. Nunc, in climate (v. 15), ad navim, juxta litus stantem, vividiore et intimiore alloquio se convertit poëta; in primo *plano* —quod dicitur— navis appetet: e mari exsurgere quodam modo videtur, ipsaque commoto animo a poëta compellatur: TU!... et in dulcibus poëtae versibus oritur anti-climax: secreto verum colloquium intercedit:

Tu (adhortatio)
cave!, nisi vis ventorum
esse ludibrium

Tu — *mihi* (amor in patriam)
nuper sollicitum fuisti mihi taedium
nunc desiderium curaque non levis.

Suprema Horatii commendatio (quae cum prima: *occupa portum*) conectitur: 'illud scopulis periculosissimum mare, quod inter Cycladas nitentes fluit, —te deprecor—: *vita!*'

CONSECTARIA

Ex iis quae supra diximus haec colligere possumus:
lum: verbum seu vocabulum in carmine Horatiano vita quodam modo vigere non tantum ex ipso versus numero seu metro, sed in primis ex eo quod ipsa vox significat atque ex eo quod *in apposito loco versus exprimit*.

2um: In carminibus Horatii non tantum intimum pulchritudinis,

venustatis, elegantiae sensum inveniri, sed etiam certum ac subtile in singulis verbis adhibentis judicium.

3um: Apud Horatium singula verba vi sua praedita esse, sed speciali virtute *ex conexione cum aliis praestare*. Ex qua conexione verba splendenti luce inter se illustrant, significantiae pondus augent et hanc aptius exprimunt.

4um: Ex iis quoque inferre oportet Horatium aliosque classicos scriptores non solum ad totum opus artificiose conficiendum et ex poliendum mentem et operam prorsus contulisse, sed et in singulis minimisque orationis partibus et subsidiis —ergo et in singulis verbis— affabre struendis, collocandis ac paene dixerim fabricandis.

5um: Ergo et nos, cum scriptorum opera explicamus, non solum ad illustrando temporum et eventuum adjuncta, ad institutionum et rerum publicarum condiciones omni studio imcumbamus oportet, verum etiam in mentem et animum auctorum —ex eorum scriptis— penitus penetrare conemur⁷.

Haec est recens investigandi scriptorum ratio et disciplina, quae *stilistica* appellatur, cuius auctor et parens Carolus Bally habetur: quem secuti sunt alii haud ignobiles scriptores —in quibus Julius Marouzeau et Marcellus Cressot apud Gallos; Carolus Vossler, Leo Spitzer, Helmodus Hatzfeld apud Germanos; B. Croce et Jacobus Devoto apud Italos; in Hispanis et America Latina Amatus et Damasus Alonso, Carolus Bousoño, Raimundus et Maria Rosa Lida, in aliis, fama notissimi sunt.

Ac, ut finem faciam, vestigia insequamur Prof. H. Bardon et Professoris Ferrarino, qui hodie, et Hectoris Paratore, qui heri, peracuto ingenio in intimum animum et sensum Horatii penitus ac subtiliter penetraverunt.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.
In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

7. Quam plurimi sunt scriptores qui de Horatii ingenio, virtutibus, operibus, gloria aliisque scite egerunt, et viam insecuri sunt per amplan ita ut nihil fere non disputatum et controversum de poëta Romano remaneat; praeter libros nostrae aetatis in commentariolo nostro supra memoratos, recolantur in primis: GIORGIO PASQUALI, *Orazio lirico*, Studi, ristampa xerografica con introduzione, indici ed appendice di aggiornamento bibliografico a cura di Antonio LA PENNA, Firenze, F. Le Monnier, 1966; EMMANUELE CASTORINA, *La Poesia d'Orazio*, Roma, Edizioni di Storia e Letteratura, 1965; FABIO CUPAIUOLO, *Lettura di Orazio lirico*, Napoli, Libreria Scientifica Editrice, 1967; LEONARDO FERRARINO, *La «Poetica» e le poetiche di Orazio*, Torino 1953; Vincenzo D'ANTÒ, *Studi oraziani*, Napoli, Libr. Scientifica Ed. 1968.

Nos vero aliam secuti sumus viam, et in verba et carmen et sensa poëtae mentem tantum convertimus ut ejus animus lyricus penitus nobis pateret.

QUIS SIT HOMO LIBERALITER INSTITUTUS

(Interlocutores: Candidus, Simplicius, Catus)

Duo amici, alterum Catum, alterum Simplicium fuisse satis constat, in disciplinis suis bene sane periti apud communem quemdam familiarem alter in alterum casu inciderunt. Amicus enim eorum idemque in docendo ambobus collega exoptatissimus carissimusque nec non uxor ejus, quae inter omnes cum ingenii suavitate tum mentis subtilitate mirum in modum excellebat, colloquendi amicitiasque nectendi causa multos ac saepe in domum suam invitare solebant. Quinquaginta fere eo die hospites inter varia crustula et potuum sorbitiones, nunc graviter nunc leviter variis de rebus familiariter disserebant. Duo ergo illi amici, quos supra memoravimus, de rebus cotidianis, ut fieri solet, varios sermones, satis quidem lepidos, sed, ut vera dicamus, parum in se utilitatis habentes, temporis magis terrendi causa quam mutuo delectamento, serebant.

Cum jam alter discedendi causa: «Horatium, inquit, qui me jam diu convenire voluit, casu nunc ipsum vidi. Humanus qui es, liceat mihi...» Nondum haec fatus, cum humeris se manu ingenti ac gravi tactum sensisset. Erat enim Candibus veritatis purus amator omnibusque carissimus. Emanabat enim ex eo gravitas quaedam ac benignitas fere divina, quibus omnium animos vel inscius sibi conciliabat. Humanas litteras in publico ludo, magno quidem cum successu, ut audio, discipulos docebat, ita ut cum eis carissimus tum parentibus eorum probatissimus esset, ejusdemque fama longe lateque vagaret.

Catus: In tempora mala sane incidimus.

Candidus: Mala? Quaenam?

Catus: Quaenam? Rogas? Discipuli nostri nondum studia sua absolverunt, cum jam vexantur apud quem conductorem operam suam locare possint.

Simplicius: O temporum iniquitatem! Melius sane esset, ut discipuli nostri in artes manuales vel potius, liceat mihi hoc graeculo verbo uti, «practicas», quas vocant, incumberent, quibus victum sibi comparare possent, potius quam in haec vana et vacua humanitatis studia.

- Catus:* Recte, rectissime dicis. Nihil verius nihilque rectius unquam audivi.
- Candidus:* Cur tandem?
- Catus:* Cur? Cur? Quia semper humanitatis studia inutilia et vacua, quin immo vacuissima fuerunt, sunt eruntque.
- Candidus:* Quaenam, sodalis, dic?
- Catus:* Quaenam? Omnia. Nulla quidem excipio. Exempli gratia, quid opus est litteris, quid historiis, quid musica, ne dicam philosophia; quid his omnibus disciplinis verbosis et vanis, quid, dic, pro deos immortales, quid eis opus est? Num quid edibile ex eis...
- Simplicius:* Mi Cate, quam tibi ex toto pectore assentior. Rem quidem acu tetigisti. Hoc pessimum apud nos, quod tot inutilia, quin immo damnosa in ludis traduntur. Quantum pecuniae publicae, quantum discipulorum temporis, quantum operae magistri isti terunt et nesciunt! Miseri, qui suam et discipulorum operam perdunt!
- Catus:* Verum, verissimum, nec quicquam verius dici potest. Homines enim, qui vere sapientes, qui res hominesque recte judicant, nihil aliud ex vita hac, qualiscumque est, expetunt, atque ea quae victui corporique prosunt. Vide Lucretium illum, qui ante hos paucos annos rei mechanicae in ludo nostro operan dabat et in ea peritus ludum absolvit, studia vero humanitatis penitus neglexit, ipse jam plus quam decies centena milia nummorum sibi comparavit et cotidie in actis diurnis non solum nomen sed dicta quoque ejus quasi divinitus revelata referuntur omnibusque probantur. O hominem vere sagacem prudentissimumque! Ex nihilo quantus jam factus! Ipse autoraedas, ipse villas, quin immo vel aeroplanum suum habet. O virum paene divinum qui ingenio suo tam bene usus est!
- Simplicius:* Cate, tu res quam qui prudentissimus judicas. Sed quid tu, Candide, ad haec?
- Candidus:* Quid? Nihil. Nam omnia, ni fallor, quae ad ea quae manibus tractantur, quae corporum necessitatibus inserviunt, quae omnibus fere hominibus satisfieri videntur, in sermonibus vestris tetigisse videmini. Prorsus nihil, quod ad haec pertinet, addendum arbitror. At sunt quoque ii...

Simplicius: Ecquid? Nonne homines ita sunt? Visne mutare naturam humanam?

Candidus: Minime vero!

Simplicius: Quid ergo?

Candidus: Sinam quidem eam uti est. Stulti enim est immutabilia mutare velle.

Catus: O sententiam paeclararam prudentissimoque viro dignissimam! Quanto gaudio mihi est, quod nos omnino consentimus.

Candidus: Si uti vos dicere videmini, homines cum corporibus suis satisfecissent, vere quiescerent nec quicquam amplius cuperent, si hoc dico, vos praeter quamcumque dubitationem verum esse demonstravissetis, philosophorum prudentissimorum sententias et doctrinas superavisse vos arbitrarer, sed homines...

Catus: Homo bene potus et bene pastus nihil amplius desiderat! Quis de hoc dubitat?

Candidus: Ego!

Catus: Tu?

Candidus: Ego quidem!

Catus: Tu? Cur?

Candidus: Quia homines alio modo sese gerere jam diu comperui. Nam video cotidie juvenes eosdemque innumeros, praesertim apud nos, qui omnibus ad corpora necessariis abundant quique tamen adhuc aliquid enixe expetunt, quod animo mentique eorum semper inquietae semperque vexatae pacem et quietem conferat.

Catus: Quos juvenes? Ego nulos video.

Candidus: Nulos? Immo vero multos, permultos, nimios!

Simplicius: Jam numera.

Candidus: In primis innumeros qui animi mentisque vacuitate ac quadam intellectus fame sitique excruciat exagitatique, veritatem frustra exquirere videntur. Qui nullan veritatem, nec pacem ullam habere videntur. Deinde video

juvenes qui vitae difficultates et frustrationes voluntate et vi sua superare non possunt quique eas pharmacis obnoxiis et periculosissimis superare conantur; eos denique video non paucos qui amoris cibo privati vel parentes suos fugiunt, ut in aliquem locum, si fieri possit, secedant, ubi ea, quae domi tam diu frustra cupiverunt expetiveruntque, invenire aliquo modo ac frui possint.

Simplicius: Non equidem vana memoras. Ut vera dicam, numquam de hac re satis meditatus esse videor. Nam mihi nunc hoc in mentem venit: anno praeterito filia amici cuiusdam mihi carissimi, vix XIV annos nata, parentes reliquit ac Novi Eburaci crudelem mortem obiit. Sed dic, cur ista?

Candidus: Eheu! Rem difficilem rogas. Ita accidit, ni fallor, saltem ex parte, quia ea quae animum mentemque alunt nimis negleximus.

Catus: Jam suspicor, quo sermo iste tuus tendat. Sed pergas, nisi molestum.

Candidus: Pergam, licentia sane tua, et libenter quidem.

Catus: Pergas, quaeso, pergas, sis, nam plura audire aveo. Cupiditatem enim quamdam arcanam et novam haec audiendi jam in me excitasti.

Candidus: Inest in homine quiddam arcanum, ut recte dicis, ac animo nostro innatum penitusque insitum, veritatem scilicet exquirendi vis eamque, quocumque nos dicit, sequendi; inest quoque in nobis desiderium quoddam atque impulsus, bona faciendi eaque adamandi quae nobis vivendi moriendique vim ac robur, quin immo vel quamdam vivendi moriendique voluptatem fere divinam infundunt ut vita haec multis aerumnis plena non solum tolerabilis, sed etiam dulcis evadat.

Catus: Jam, jam, aliquid mihi albescit. Aliud enim exemplum mihi subit: juvenis quidam, ditissimus sane, vigesimum vix annum agens, filius vicini proximi, sibi in deserto mortem consivisse, quia corporis illecebris stomachatus, res, quibus viveret, nullas se invenire posse patri scriptum reliquit. Nam expertus omnia, omnia fastidivit. Sed, dic, quae homini opus sunt, ad vitam alendam?

- Candidus:* Ea in primis quae mentem animumque alunt: veritas scilicet, quam supra memoravimus, et justitia et pietas, quae humanitatis nostrae altissima sunt fundamenta; deinde in rebus omnibus judicium liberum et rectum, quod dignitatis est nostrae origo et fons primus; pulchritudinis denique et bonitatis cultus atque gustus, qui vitam beatam et fere divinam reddunt. Haec sunt quae nos deis consociant, ut, dum ea quae corpus alliciunt atque delectant non despicimus, ad ea tamen quae mentem animumque alunt enixius tendamus multoque plus faciamus. Hoc est arcanum illud quod facit, ut quo diutius vixerimus eo diutius vivere cupiamus. Homo enim vitam homine dignam vivendo sibi vivendi vires alit atque auget.
- Catus:* Cur homines ad haec, quae nobis multo dulciora et diuturniora gaudia gignunt tam penitus neglegere videntur?
- Candidus:* Nescio cur haec ita sint. Sed inest in omnibus, quae ad mentem animumque pertinent aliquid laboris, quem qui voluntate ac vi superare nolunt, nec haec attingere ullo modo possunt. Qui vero ea semel degustaverint, multo facilius ad ea tendunt atque perveniunt, donec reliqua omnia fastidientes his solum delectantur. Qui haec consecuti sunt eam vitam vivunt, quae omnia in nobis discrepantia et inter se pugnantia in unum redigunt et quietem et gaudium in se experiuntur, quibus nihil dulcius nihilque suavius experiri possumus.
- Catus:* Sed dic, num haec quae vitam talem efficiunt, alii alios docere possimus?
- Candidus:* Non hercle credo. Saltem non verbis, vita forsitan. Nam haec non loquendo sed faciendo quam optime quamque facillime traduntur et discuntur. In his non verbis sed exemplis opus est, non legibus sed principiis, non intellectu sed motu. Nos quidem vera proponere possumus, sed unusquisque nostrum sua vi ac acumine ea videre ac eis sua ipse voluntate atque vi assentiri debet, denique amore impulsus atque allactus facere, ne vana irritaque maneant.
- Catus:* Cur tu ea, quae vivendae vitae vim alunt, nos verbis tradere posse negas?

Candidus: Quia vita totius nostri manifestatio quaedam arcana et paene divina est. Verba vix particulam scintillamque vitae continent, quae alios vix tangunt, sed vita quae doloribus voluptatibusque alitur et sustinetur alios ad ea, quae facienda sunt, ita impellunt trahuntque ut et faciant. Non omnia ad numeros et calculos, ut ita dicam, contrahi possunt, uti isti viri scientiarum periti saepe contendunt, sed sunt quaedam quae istos prorsus fugiunt et latent. Et nimis haec sunt quae vivendi dulcedinem atque suavitatem quam maximam nobis praebent.

Simplicius: Tu ergo nos veritatem, pulchritudinem, pietatem alios docere posse negas?

Candidus: Sententia tua non penitus mihi probatur. Ut supra dixi, nos vera et pulcra hominibus proponere quidem possumus, sed alii ea, quae proponimus, sua sponte ac voluntate accipere atque amplecti debent. Ea enim quae intellectum tantum tangunt facile quidem intellectu percipiuntur, quae vero vitam quoque afficiunt, debent non solum intellectum illuminare, sed etiam voluntatem movere ac desiderium excitare. Ut vero discipulorum doctilas nobis concilietur eorumque voluntas ad bonos mores inclinetur vita opus est potius quam verbis. Multa enim vita non doctrina discuntur: ex his in primis bona vita et boni mores a bonis hominibus quam facillime discuntur. Homines vero ii boni sunt, non qui bene loquuntur, sed qui bene vivunt.

Simplicius: Sed nihil ex his rebus de quibus loqueris in nostra studiorum ratione invenio.

Candidus: Tu recte quidem. Nostri enim non «educant», sed instruunt; non «formant» sed «notiones» tantum tradunt. Magistri nostri non discipulorum vitam, ut antiqui, fingere volunt, sed doctrinarum elementa tantum, quae arti cuidam exercendae usui esse possint, tradunt atque proponunt.

Simplicius: Sed cur tu haec non doces?

Candidus: Difficillima tu a me postulas. Nam haec nec unius sunt disciplinae nec unquam penitus discuntur. Labor hic totius est vitae, qui in pueris inchoatus in adolescentes progreditur, donec in senibus maturos profert fructus.

Si vero in juvenibus ne inchoatur quidem, periculum est permagnum totam vitam sterilem et vanam fore. Quam qui fructuosissimam uberrimamque esse volunt, primum rerum universitatem et integritatem agnoscant necesse est.

Catus: Omnia ergo primum agnoscenda.

Candidus: Omnia. Nam qui vel aliquam rerum partem denegat totum rerum ordinem turbat. Non ergo nego vis recte et bene dicere hominibus victus, domos, vestes reliquaque hujus generis ad corporum cultus pertinentia, necessaria quidem exquirendaque esse, sed haec nullo pacto hominum naturae sufficere arbitror. Nam his comparatis, homines altius fortiusque quam antea animorum divitias ac cibos, ut ita dicam, esurire atque sitire, cotidianus vitae usus nos docet. Recentissime, praesertim apud nos, sed apud alias quoque gentes, juvenes omnibus corporum illecebris satiati, has fastidiunt et majora quaedam esuriunt et sitiunt.

Catus: Jam video. Sermonem perutilem audio ac mihi indagandi campum novum, ut ita dicam, primus aperuisti.

Simplicius: Omnino Cato assentior. Nam me quoque in haec, a me antea penitus neglecta mihi fere ingnota, tu primus animum animadvertere coegisti. Ut jam video, majora quaedam exstant eis, quae oculis cernimus, quae, fateor quidem, usque huc non solum neglexi, sed ne animadvertei quidem. Beatum me arbitror quod in te incidi: nam novam mihi rerum copiam ostendisti.

Candidus: Gaudeo profecto quod vos ad meam sententiam accessistis. Nam ipse «per varios casus, per tot discrimina rerum»¹, liceat mihi verbis Vergili nostri uti, qui scriptorum omnium humanam naturam quam qui maxime intellexit, haec intuitu quodam magis quam subtili et continua quadam indagatione comperui mihi persuasi.

Simplicius: Jam video quae usque huc ne suspicatus quidem sum.

Catus: Nimirum ne ego quidem. Catum me esse arbitrans humana vivendi ratio fere omnino me latuit. Quae propositi reliquam vitam meam penitus affectura sentio.

1. *Aeneis*, 2, 204.

Candidus: Is sane est homo liberaliter institutus, qui dum corpora non spernit, ea, quae ad spiritum mentemque pertinent, multo majoris facit, qui universas rerum partes considerat easque ipse judicat, qui res regit nec unquam ab eis regitur, qui ipse sibi in rerum colluvie atque opinionum discrepantia, omnibus perspectis et pensis, est judex et dux. Nulla vero vivendi ratione vitam agere, pecudum instar, sit venia horrido verbo, non hominum est vivere.

Cum Candidus haec dixisset labium sibi momordit paulumque erubuit vix sibi credens se hoc verbo uti potuisse; deinde amicos ad unum, ut ipsi est mos, humanissime salutavit; denique accessit ad hospitem, qui ad januam stabat dextramque ei dedit. Postquam cum eo breviter familiarissimeque est collocutus uxoremque ejus valere jussit, domum suam festinans reversus est. At duos illos amicos, quorum supra mentionem facimus, diu, quae audiverunt, mente volvisse novamque cogitandi vivendique rationem instituisse fama est.

BOLESLAUS S. POVSIC
Bowling Green State University
Mense Septembri A. S. 1973

TUTZINGENSIA LATINITATIS SEMINARIA

ANNO 1974 HABENDA

Prima Latinitatis seminaria, quibus titulus «Loquerisme Latine?», quod mensibus Julio et Augusto anni 1973 prosperrime habita sunt, Coetus linguarum Europensium Monacensis et Dusseldorpiensis (D-8 München 2, Schützenstrasse 1/III) hanc seriem seminariorum Latinorum a die VIII mensis Julii usque ad diem VII mensis Septembris anno 1974 Tutzingae (Germanice: Tutzing), in oppido ad lacum Starnbergensem sito, convenienter continuabit, atque id quidem seminariis aut unius hebdomadis aut duarum hebdomadum.

Unius autem hebdomadis seminarium erit studii intentissimi, quale magistri linguae latinae participabunt, qui in aliqua studiorum universitate studia linguae latinae absolverunt. Binarum vero hebdomadum seminaria magistris linguae latinae et philologiae studiosis et discipulis, qui quinque minimum annos latine docti sunt, et hominibus linguae latinae amantibus deputantur.

Aliter vero atque in seminario unius hebdomadis eis, qui participant seminarium duarum hebdomadum, liberum est ad institutio nem horarum postmeridianarum venire, ubi non solum discipuli grammaticam doceantur, verum etiam scientia materiarum institutione antemeridiana tractatarum consummetur et stabiliatur. Talia igitur seminaria etiam cum annua recreatione commode conjungi possunt.

Moderabitur autem his Latinitatis seminariis P. Dr. Caelestis Eichenseer, cui magistri quidam linguae latinae assistent.

Denique haec seminaria proprie praecipueque ad usum cottidiani sermonis latini spectant modernum. Insuper significantur et monstrantur, quae sunt ad institutionem linguae latinae convenientem necessaria.

Habebuntur autem Latinitatis seminaria his diebus:

tertium	8. - 13. m. Julii a. 1974	(unius septimanae)
quartum	15. - 27. m. Julii a. 1974	(unius septimanarum)
quintum	29. Jul. - 3. Aug. a. 1974	(unius septimanae)
sextum	5. - 10. m. Aug. a. 1974	(unius septimanae)
septimum	12. - 24. m. Aug. a. 1974	(unius septimanarum)
octavum	26. Aug. - 7. Sept. 1974	(unius septimanarum)

Sumptus sunt hi:

pro seminario unius hebdomadis, quod constat triginta tribus institutionis horis, (sine pretio pro prandiis communiter sumptis dando) solvendae sunt

278. — DM (marcae Germanicae);

pro seminario duarum hebdomadum, quod constat septuaginta quinque horis institutionis, (sine pretio pro prandiis communiter sumptis dando) solvendae sunt

486. — DM (marcae Germanicae).

GEORGIUS PAUCKER
MONACI 25. IX. 1973

B I B L I O G R A P H I A

LINAGE CONDE, A. — *Una Regla Monástica Riojana Femenina del siglo X: El "Libellus a Regula Sancti Benedicti Substractus"*. Acta Salmanticensia: Filosofía y Letras, 74. Universidad de Salamanca, 1973. Pag. XIII - 144 cum XVI codicum paginis lumine pictis.

Jussu Senatus Universitatis Salmanticensis, hoc opus, magni quidem momenti, a signatore seu scriba publico (hispanice “notario”) illius civitatis rerumque gestarum scriptore magis magisque in dies noto, recens editum, in deliciis erit iis omnibus qui rebus ad historiam praesertim ecclesiasticam spectantibus impensius dant operam. Et tamen nihil est nisi lucubratio seu parva thesis, ut vulgo ferrunt, ad Licentiam in Disciplina Rerum Gestarum obtainendam. Brevi edetur ejusdem auctoris thesis al. Lauream, opus majoris momenti molisque, in qua fuse lateque agitur *De origine vitae monasticae in Hispania*, quam, qui auctorem cognoscimus et amamus, magno desiderio exspectamus. Hoc in praesentia opus magna laude prosequi oportet, tum ex re de qua agitur, tum ex ratione et via quae explanata est. Praemittuntur non nulla quae imprimis necessaria videntur ad *Libellum a Regula Sancti Benedicti Subtractum* recte interpretandum; deinde *editionem principem* illius “Libelli” accurate auctor profert, juxta codicem Aemilianensem 62, qui in Tabulario Regiae Academiae Historiae Matriti asservatur. Est editio critica, quam commentationes non nullae sequuntur ad declarandum tex- tum Libelli et quaestiones quae ex eo pendent; denique documenta codi-

cum lumine picta fuse proponit auctor in testimonium eorum quae prius in variis operis partibus declarata sunt. Cum clmo. Professore Universitatis Virginianae Carolo Juliano Bishko non possumus auctorem carissimum non laudare, qui hanc editionem principem “Libelli a Regula Sancti Benedicti Subtracti” tam accurate tamque diserte divitibus lucubrationibus ornati praebuerit, ad illustrandam historiam vitae monasticae in Hispania saeculo X currente.

D'AGOSTINO, V. — *M. Tullio Cicerone, Cato Maior De Senectute*, 3.^a edizione riveduta, Società Editrice Internazionale, Torino, 1969. Pag. 208.

En vobis, lectores humanissimi, ter- tia editio Ciceronis colloquii, cui index est *De Senectute*, a clarissimo vi- ro V. D'Agostino apprime parata. Continet amplam totius operis notitia- m atque quaestiones summatim sed optima ratione enodatas. Agitur enim de Cicerone, de tempore quo opus *De Senectute* scriptum est, de viris et ratione dialogi, de Attico cui liber seu colloquium dicatum est, de Catone sene, qui primas partes in dialogo agit, de Laelio et Scipione, quos Ci- cero apud Catonem facit admirantes, de arguento operis, de ejusdem vir- tutibus atque vitiis, de fontibus, de ratione seu forma expositionis, scili- cet, de colloquio, quasi res ageretur, non quasi narraretur, de fortuna tan- dem hujus operis et de codicum his- toria (p. 3 - 32). Agitur deinde de summa editionum et librorum, quae ad hoc Ciceronis opus praesertim at- tinet (p. 33 - 34). Denique (p. 35 - 208)

lectio latina, juxta editiones criticas, totius operis proponitur cum notulis seu commentationibus magna eruditione et doctrina refertis in lectorum utilitatem. In recensione librorum, qui ad opus *De Senectute* spectant, non nulli desiderantur, uti, ex. gr., editio, copiosa praefatione et commentationibus ditata, a Josepho Llobera, S. J., Matriti, 1927, ni fallor, vulgata. Ceterum, haec V. D'Agostino tertia *De Senectute* editio omnibus numeris commendatur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

POTIER, R. — *Le génie militaire de Vercingétorix et le mythe Alise - Alesia*. Editions Volcans. Société Nouvelle des Imprimeries Mont - Louis et de la Presse réunie, Clermont - Ferrand, 1973. Pag. 368.

Laudandus sane Prof. R. Potier quod tantum suscepit opus detegendi verum ad situm oppidi Alesiae Commentariorum Caesaris quod spectat. Ut ex indice operis patet "*Le mythe Alise - Alesia*" auctor totis viribus exuere contendit Alesiam (*Alise*) veste illa mythica qua longissima hominum memoria induita erat. Quod sumnum videtur Prof. R. Potier meritum: sententiam J. Carcopino, J. Harmand et M. Rambaud, qui oppidum Alise vulgo dictum oppido caesariano Alesiae assimilabant, rejicere atque improbare validissimis utendo rationibus et argumentis scientificis. Opinio pro Alise = Alesia in fundamentis male conformatis nititur: falsa scilicet interpretatione monachi cuiusdam poetae saec. IX, quadam Martialis inscriptione, versione quoque non recta Caesaris, B. C, 66,67, opere J. Carcopino cui est index "*Alesia et les ruses de César*", effosionibus quae cum Caesaris textu minime congruunt. Contra Prof. R. Potier accuratissi-

mam navat operam ad novam Caesaris Alesiam inveniendam hac via ac ratione: cum Caesar gravissimum fortissimumque in re testimonium videatur, si una tantum descriptio caesaria na cum loco seu oppido "*Alise en Auvergne*" vulgo nuncupato non convenit, jure meritoque asserendum talem locum mequaquam veram esse Alesiam. Quem ad finem operis auctor praeter textum Caesaris elementis utitur historicis, linguisticis, topographicis, militaribus seu strategicis, quibus de Alesiae situ quaestio nova luce dilucidari possit. Quapropter opus in quinque dividit partes quarum indicem lectoribus praebeamus oportet cum brevi commentatione: I. *L'Alesia des Anciens*: ubi Prof. R. Potier quasi pictam imaginem veri simillimam facit ("*portrait - robot*") oppidi Alesiae caesarianae nec non tabulam quandam munitionum quibus Caesar Alesiam obsidet circumdedit religiosissime Commentariis perspectis; II. *Face aux Commentaires: le site d'Alise*: hac altera parte situs oppidi Alise vulgo dicti ejusque effossiones in eodem loco peractae conferuntur cum imagine pictae verae Alesiae quam Caesar suis Commentariis describit et cum oppidi munitionibus ab ipso quoque perfectis; III. *Face aux Commentaires: un site de rechange*: Prof. R. Potier alium locum pro Alise proponit, oppidum nempe *Syam-Cornu* tamquam verae pictae imagini Alesiae caesarianae magis congruens. IV. *Préliminaires de la bataille d'Alesia*; V. *Les combats sous Alesia*: his partibus operis postremis proelia ad Alesiam retractantur ita ut circum novum oppidum Syam - Cornu quod Prof. R. Potier proponit hujus modi proelia commissa videantur ea ratione qua Caesar in Commentariis suis aliquique veteres scriptores historici eadem describunt. Haec nova opinio maximis argumentis confirmatur archaeolo-

gicis, militaribus, locorum natura, recentibus effossonibus annis 1970-1972 jam perfectis quaeque sunt perficienda ad veram Alesiam inveniendam atque illustrandam. Quamquam opus —ex argumenti novitate atque rationibus— apud sapientes eruditosque magnam movebunt contentionem, pro certo habemus quam plurium collaturum esse primigeniae Francogalliae historiae dilucidandae.

PLOMMER, H. — *Vitruvius and Later Roman Building Manuals*. Cambridge University Press, Bentley House, 200 Euston Road, London, N. W. I., 1973. Pag. 116. L 3.60 net.

Hoc volumine continetur anglice quoque conversa summa libri Vitruvii "De architectura" a Faventino exarata quaeque "M. Ceti Faventini de diversis fabricis architectonicae" inscribitur. In praefatione, qua Faventini scriptum praemunitur, de necessitudine Vitruvii disseritur cum operibus Faventini et Palladii, nam uterque amplissime argumentis Vitruvii usus est, etsi Pallidius a Faventino tantummodo omnia accepisse videatur. Uterque autem nequaquam id quasi pecuniam mutuam sumpsit, sed omnia aptarunt ambo novaque elementa adjunxerunt prout aetas rerumque necessitates expostulabant novorum inventorum luce, quae Vitruvio omnino incognita exstisset. Introductio peracta, textus latinus cum accurate interpretatione anglica duplii adversaque columna prostat, cum commenationibus praecipuarum rerum quae in textu memorantur. En primam habes versionem textus Faventini, quam pro certo habemus admodum fore ut propositum cum historicis technologiae et architecturae antiquae tum studiorum classicorum peritis.

COLE, T. — Ross, D. — *Yale Classical Studies* 23. (*Studies in latin language and litterature*). Ed. Cambridge University Press, 1973. Pag. 242. L 4.80 net.

Hoc volumine "Yale Classical Studies 23" lucubrationes nuper in lucem ab Universitate Cantabrigiensi editae et ab eximiis litterarum latinarum cultoribus exaratae colliguntur. Indicem lucubrationum cum non nulla earum notitia lectoribus praeebeamus: I. *Particularum quarundam varietas*: "prae" and "pro": E. D. Francis historiam describit vocum "prae" et "pro" tanquam adverbia, praepositiones, praefixa cum munieribus grammaticis quae in unaquaque forma apparent; II. *Greek poetry in Cicero's prose writing*: H. D. Jocelyn locos memoratos investigat e poetis graecis desumptos a Cicerone ad solutam orationem quod attinet; III. *A new look at the manuscript tradition of Catullus*: D. F. S. Thomson recens aetati que nostrae accommodatum instituit examen de Catulli manu scripta traditione; IV. *Toward a fresh interpretation of Horace Carm. III,I*: E. T. Silk novam proponit interpretationem de primo Carmine romano Horatii quod conferendum asserit cum aliis carminibus quibus poeta populum romanum alloquitur; V. *Tibullus: Elegy I.3*: C. Campbell internam partium congruentiam atque estructuram propugnat elegiae Tibulli quae saepe unitatis expers est aestimata; IX. *Juvenal's "Patchwork" satires: 4 and 7*: Ross S. Kilpatrick idem facit erga duas hujus modi saturas Juvenalis; VI. *Notes on Livy*: R. M. Ogilvie lectiones retractat saepe disputatas OCT Livii IX ad lucem novarum rationum quae *Concordantia Packard* offeruntur; VII. *Structure and meaning in the prologues of Tacitus*: A. D. Leeman structuram explorat pro-

logorum *Annalium, Historiarum et Agricolae* ut nova lux afferatur ad altius investigandum quid sibi Tacitus proposuerit in eis conscribendis; VIII. *The Tacitean Germanicus*: D. O. Roos, jr. subtiliter argumentatur descriptionem Germanici a Tacito exaratum non esse tam benevolam quam plerumque vulgo asseri solet.

PÉREZ DE TUDELA, C. — *Mi lucha por la montaña*. Ed. BAC, Madrid, 1972. Pág. 320.

Hoc volumine ab auctore colliguntur lucubrationes et scripta de montibus ascendendis quae plurimis commentariis periodicis hispanicis annis 1959-1971 in lucem prodierunt. In quibus scriptis manifeste patet quo modo haec summa lustrandi montes vocatione ad tantam pervenerit maturitatem qualem nemo detrahere audeat Caesar Pérez de Tudela, viro forti, indefesso, nobilique non tantum apud hispanos verum etiam apud exterros. Omnibus, qui legerint, sive tironibus sive veteranis expertisque manifestum erit quantus rerum montanarum cultus his paginis contineatur. Auctor enim voluminis miram ostendit etiam vocationem scriptoris amoenissimi, nam in eo eminet, praeter absolutam montium concendorum experientiam, exercitium, cognitionem omne genus viarum, curiositas quaedam et studium insatiabile, memoria praestantissima stilusque ad res in montibus gestas enarrandas, memorandas, explicandas facillimus. Huc accedit quod Caesar Pérez de Tudela, qui saepissime cum acroasibus tum televisificis transmissionibus ad montium amorem studium que juveniles animos concitavit, hoc volumine perpetuam quasi cathedram occupare videtur e qua juvenes hoc forti virilique corporis exercitio instituere liceat.

BABIN, P. — *Lo audio-visual y la fe*. Ediciones Marova. Viriato, 55, Madrid, 1973. Pág. 222.

In media, ut ita vulgo dicamus, aetate "electronica" versamur; in ea instrumenta jam diu usu tradita ad res et cogitata exprimenda necessariam patiuntur mutationem, adeo ut a nobis ipsi quaerere debeamus quid futurum sit de nostra verbi scripti cultura. In dies invalescunt opes quos audio-visuales vulgo nuncupamus: televisio, photographia, cinematographia, magnetophonum, magnetoscopium ceteraque. Catechesim non licet longe ab inventis recentibus abesse, quin periculo subiciatur minime cum hodiernis communicandi hominibus, qui rebus instrumentisque audio-visualibus undequaque obruuntur. Tamen magna exoritur quaestio nonne catechesis mediis audio-visualibus lacessita eadem temptare possit, quin eorum et virtutem et efficacitatem et sensum ad homines in fide instituendos amittat. P. P. Babin, peritissimis quoque paedagogis communem operam navantibus, huic quaestioni responsum dare contendit hoc volumine penitus investigando quo pacto sermo audio-visualis cum fide hodie tradenda congruere plane possit. En habemus librum minime theoreticum sed maxime practicum, quo rationes seu viae theoretiae tamquam fructus experientiae proponuntur; librum scilicet quo non tantum quid sint media audio-visualia significatur verum etiam quo modo eadem utenda sint in catechesi et in juvenum institutione. Quem ad finem prima operis parte ubi haec proponitur quaestio: "Quae-nam hodie res immutentur?", homo cultus audio-visualis mirum in modum describitur in iis in primis quae ad exprimendam fidem christianam spectant. Secunda parte praecipua principia seu praecepta, quibus sermo audio-

visualis regitur atque moderatur, praesertim vero ad catechesim quod attinet, ab auctoribus praebentur; principia nempe seu normae quae in technicis experimentalibus in philosophia, in psychologia religiosa innituntur. Tertia demum parte magnae illae mutationes explorantur, quae apud homines recentes opibus audio-visualibus perfectae sunt. Praeterea voluminis auctores in usum linguae audio-visualis nos manu quasi ducunt, de adquirendis parandisque hujus modi instrumentis admonent, technicam viam significant ad documenta audio-visualia ordinanda atque distribuenda, per amplam tandem bibliographiam de re ejusque novo dicendi genere commodant legentibus. Opus, paucis verbis, omni ratione absolutum perfectumque enixe lectoribus nostris commendandum.

BABIN, P. — *Fotopalabra 3. El Evangelio hoy (II)*. 48 fotografías y folleto explicativo de 28 páginas. Ediciones Marova, Madrid, 1973.

Postquam superius opus judicio critico instruximus, facile opusculum "FOTOPALABRA 3" inscriptum paucissimis verbis lectoribus praebere possumus. Cum ea occasione quantum momentum nostra aetate media audio-visualia haberent in tradenda fide christiana compertum esset, nihil amplius dicendum praeter quam quod uti hujus modi mediis debemus tanquam instrumentis quae proprium sermonem habent. Quod recte data hujus opusculi occasione fieri potest. In eo enim XLVIII imagines photographicae colliguntur quae accuratissime selectae sunt ad vivam Evangelii expressionem visualem. Duo quidem specimina laboris pastoralis seu catechetici offeruntur quae Resurrectionem habent tanquam centrum et axem ut processus et evolutio vitalis juvenum maturior in dies fiat. Quapro-

ter fidei institutores haec adminicula visualia magni habebunt, cum sibi plurimum inserviant ad curriculum educationis christianaee instituendum. Quae specimina hoc opusculo nunc oblata, quamvis per se ad aetatem adolescentium 14-16 annorum pertinencia, applicari aptarique tamen magna utilitate possunt et juvenibus et adultis. Praeter XLVIII imagines photographicas brevi XXVIII paginarum libello utrumque argumentum exponitur atque explicatur, adeo ut ejus adjumento pulcherrimae tabulae murales facili modo conficiantur quo nuntius christianus jucundissime juvenibus tradi possit.

LÓPEZ DE LA VIESCA, E. — *El forum musical*. Fondo de cultura popular, N.º 4. Editorial MARSIEGA, Madrid, 1971. Pág. 120.

Adultos per musicam instituere atque erudire sibi auctor hoc opere proposuit. Quod propositum sane laudandum est. Hoc enim libello E. López de la Viesca animos recentium hominum tangere vult in quaestiones quae hodiernis cantilenis hodiernisque modis musicis exprimuntur. Postquam quid sit "forum musicum", quid quoque eo intendatur, quo modo instituatur, evolvatur, moderetur, quaenam intersint personae explicatum est, tria quasi specimina seu exempla fori musici perficiendi proponuntur quibus tres magni momenti apud homines recentes attinguntur quaestiones: labor scilicet, hominum necessitudo, cantus Baeticorum popularis. In unoquoque capite seu fori musici peragendi specimine selectae cantiones ope discorum phonographicorum designantur recentiores, non nullaeque de re fiunt interrogations ad colloquium de littera cantionum, de iis quae cantionibus continentur, de modis musicis ceterisque utiliter cum sociis habendum.

SOLE ROMA, J. M. — *Ministros de la Palabra. Homilías de los tres ciclos.* Vol. I: Ciclo A, pág. 312. Vol. II: Ciclo B, pág. 256. Vol. III: Ciclo C, pág. 264. Ediciones Studium, Madrid, 1972.

Sacrae illae homiliae, quas auctor primum sodalibus Consociationis Sancti Antonii Mariae Claret, postea in lucem omnium plausu atque exspectatione editae sunt. Pater Josephus M. Solé Romá, sodalis clare-tianus, peritissimus Sacrae Scripturae interpres, hujus modi homiliae tribus collegit voluminibus quae tribus curriculis liturgicis respondent. Omnes nos sacerdotes grato erimus animo auctori quod tanto nos donavit adjumento ad Verbum Dei rite praedicandum. In his enim biblicis commentationibus tutissima invenitur doctrina, vera theologia, mira in argumentis explanandis concinnitas, claritas, simplicitas. Quod summum meritum sapientis interpretis videtur. Primum volumen prologo Rdi. Josephi Basch, Praesidis Consociationis Sacerdotalis, praemunitur, ubi et opus et auctorem commendat; praeterea introductio de recta Verbi Dei praedicatione et expositione fit; in secundo volumine canticum ad Verbum Dei praemittitur e pulcherrimis Psalmi 119 cogitatis ac sensibus desumptum; in tertio volumine ardens de Verbo Dei peragitur adhortatio. Quibus rite peractis, unoquoque volumine commentationes biblicae continentur quae

dominicis praecipuisque diebus festis respondent.

MOUROUX, J. — *Sentido cristiano del hombre.* Ed. Studium, Madrid, 1973. Pág. 148.

Hominem esse atque christianum, en munus officiumque quo unusquisque humana vita perdurante omni studio fungi debet. Hac dupli vita specie Joannes Mouroux librum omni ratione aestimabilem eo in primis conscripsit consilio ut crebram eamque falsam sententiam labefactaret christianam doctrinam homini alienam esse, immo tragicae hominis condicionis sublevandae impotentem nihilque obsequentem miseriae humanae simul atque magnificentiae. Auctor contra omnes hominis facultates vindicare nititur vel eas quae ad condicionem humanam corporis, temporis spatiique attinent. Prima parte (*"Valores temporales"*) homo in orbita temporis et in mysterio universi constituitur; deinde secunda parte (*"Valores corporales"*) corporis momentum investigatur quod ad ejus dignitatem, miseriā redēptionemque spectat; tercīa denique parte (*"Valores espirituales"*) haec argumenta attinguntur: persona humana, libertas animi, libertas christiana, christianus amandi sensus, caritas christiana. Paucis verbis ecce liber qui diurnae cogitationis theologicae est fructus quique ex non nullis acroasisbus retractatis atque locupletatis constat.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

CARNOT, Dr. — *El libro del joven.*
Ed. Studium, Madrid, 1972. Pág.
308. *El libro de la joven.* Ed. Stu-
dium, Madrid, 1972. Pág. 328.

En utilissima duo volumina quae simul recensenda putamus, cum eodem consilio sit utrumque conscriptum a Doctore J. Carnot, nobili medico francogallo, peritissimoque in iis quae ad rem hodie attinent. Juvenibus in primis destinatur qui vitam probam, honestam, pulchram vivere volunt; in eis enim utriusque sexus juvenes praesto invenient quidquid necessarium ad matrimonium capessendum aestimatur. Primum volumen, cui est index "*El libro del joven*", juvenibus dicatur qui ea aetate jam sunt proiecti ut nomen militiae dare possint praecipuasque continet explanationes de amore sive ad ordinem physiologicum sive ad spiritualem quod spectat; cum a juvenibus omnia hujus modi plerumque sponte pertracentur, auctor volumen perfectum absolutumque voluit, praeterquam quod utile quoque redderetur primis prae-assertim annis vitae conjugalis. Alterum volumen quo "*El libro de la joven*" incribitur, puellis nubilibus destinatur, vel quae extra familiam in fabricis et in officinis laborare debent; ubicumque locorum abhorrentia conseruntur de sexu et de amore, adeo ut omnis puella effrenatae licentiae sit testis. Magno igitur hoc volumen erit adjumento puellis ut de omnibus his rebus recte cogitent eo potius quo multae ne unam quidem occasionem sui in re erudiendi habuerint.

HEINEN, W. — *Fundamentos de una moral cristiana. Sobre antropología moral.* Ediciones Studium, Madrid, 1972. Pág. 408.

In prima operis parte accurata ratione quid significet characteriologia investigatur, necnon quid quoque sit anthropologia, quae ab ea exoritur, ad ethicam et munus pastorale quod spectat. Psychologia "rerum profundarum" progrediente radiceque virium "inconscientium" animi detecta, cum characteriologia tum anthropologia tanquam quaestiones praeviae scientiae socialis exponuntur. Praecipuae figurae quae in familia naturali funditus radicantur (*mater-pater, soror-frater, femina-vir, filia-filius*) quaeque homines intra fines seu ordinem socialem constituunt, spatum circumscribunt ad lucem theologicam ac moralem nascendam. Speciali singularique auctor cura prosequitur morbos seu perturbationes explorandas quibus naturalis hominum vita atque evolutio interdum significantur, quantum pericula maturitatis humanae aliquo modo videantur. Tandem parte operis postrema postulata moralia theologiae practicae cum munere pastorali conferuntur. Praeterea conscientia rite morata morumque regulis optimis conformata haud parvam afferet fidem ad recte vivendum. Totius operis in universum conspectus majorem mutuamque reddit comprehensionem fidei christianaee et hominis recentis cognoscendi nostraequae aetati aptandi.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TEXTOS PALAESTRA LATINA

GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. ^a ed.	100'—
GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada)	70'—
REPETITORIUM, J. Delgado	70'—
DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado	20'—
INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado	6'—
CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado ...	20'—
CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Del-	
gado	20'—
HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado ...	20'—
EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado ...	20'—
CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir ...	20'—
VERGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija ...	20,—
PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija ...	20'—
CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos ...	20'—
CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ...	20'—
MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento ...	15'—
HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga ...	20'—
HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz ...	25'—
XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos ...	25'—
NOVA VERBA LATINA, J. Mir ...	500'—

Pedidos a:

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.^o 5

BARCELONA (10)

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 180 Ovidi - Amors
- 181 Aristòfanes - Comèdies (vol. III)
- 182 Cal.limac - Himnes
- 183 Virgili - Eneida (vol. I)
- 184 Hipòcrates - Tractats mèdics (vol. I)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA